



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Marcvlfī Monachi Formvlarvm Libri Dvo**

**Marculfus <Monachus>**

**Paris, 1635**

Hieronymi Bignonii Notae, Ad Marcvlfī Monachi, Formularum Libros II. Et  
caeteros Formularum Auctores.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10644**



# HIERONYMI BIGNONII

NOTÆ,

AD MARCVLFI MO-  
nachi, Formularum  
Libros II.

Et cæteros Formularum Auctores.

## AD LIB. I.



EVERENTISSIMO PAPAE PRO-  
OEM.  
LANDERICO.] Auctoris sæcu-  
lum, ætatem & institutum ex hac  
epistola discimus, quæ ab alio ex-  
pectare frustra esset: se enim mar-  
culfum nomine, professione mo-  
nachum fuisse, & septuaginta annis maiorem  
disertè testatur. At cum Landerico, cuius iussu  
id suscepisse fatetur, opus suum inscribit, tem-  
pus certissimè designat. Ille namque Landeri-  
cus, etsi ciuitatis, cui præfuit, nomen non adda-  
tur, alius à Landerico Parisiorum antistite esse  
non potest: quem Chlodoueo seu Ludouico

D d

Dagoberti F. Rege claruisse constat, circa annum Christi DCLX. cuius tandem sanctissimam memoriam Ecclesia Parisiensis IV. Eid. Iunii quotannis recolit. Quod vero Landericum Papam appellet, sæculi more loquutus est Marculus: Omnes quippe tum Episcopi Papæ vocabantur. Id ex Sidonio, qui passim omnes Galliaë Episcopos Papas agnominat, palam est: tum ex Gregorio Turonensi, apud quem non semel hæc vox eodem sensu reperitur. & epistolæ Chlodouei Regis ad synodum Aurelianensem I. hæc legitur epilogus: *Orate pro me domni sancti & Apostolica sede Papa dignissimi.* Fortunatus quoq; Venantius Pictauiensis Episcopus, eiusdem æui scriptor, Leuntium Burdegalensem & Gregorium Turonensem Papas passim vocat. Quin & Synodus Turonensis II. sub Chariberto R. c. 21. Epaunenses canones memorās, à *Papa Auito*, qui Viennensis Episcopus fuit, & *cæteris Episcopis*, conscriptos esse ait. Quod à Græca voce, quæ patrem significat deductum, & veteribus vsitatissimum fuisse ex Cypriano, Athanasio, Rufino, Hieronymo & Augustino, iam nemo nescit. Neque vero Iustiniani sæculo, vt quidam putant, aut circa Gregorij magni tempora vt alij, illud exoleuisse dici potest. Nam & plerique multis post annis, præsertim extra Italiam scriptores, Papæ nomen omnibus Episcopis tribuerunt. Extant inter cætera veteres Tortarij Floriacensis versus, ante sexcentos annos conscripti, de translatione B. Mauri, quibus quidam inducitur Britannus Episcopus, dum causam fugæ reddit,

dicens melius esse fugere, *quam me Barbarico Papam contradere ludo.* Donec in Synodo Romana primus, vt à doctissimo Cardinale obseruatum est, Gregorius VII. Pōtifex Romanus cōstituit, vt Papæ nomen vnus esset in orbe Christiano: quod inter eius dictatus li. 2. registri videre est.

REVERENTISSIMO] Sic Ms. vt & apud Sidonium ep. 14. l. 5. *reuerentissimo exemplo*, non reuerendissimo, ne operarum vitium putes.

TAM IN PALATIO QVAM IN PAGO] in palatio, de negotiis scilicet quæ ante Regem expediuntur, & de quibus chartæ Regales fiunt, quæ primo libro traduntur. In pago seu in vnaquaque ciuitate, ante Comitem vel iudicem loci, quæ chartæ pagenses dicuntur & secundo libro proponuntur, qua de re latius libro secundo.

IN ANTEA] id est in posterum, dehinc, veteribus Gallis *en auant*, vnde natum Italicum *inanzi*. Quæ dictio non huius tantum auctoris propria, qui sexcentis locis ea vtitur, sed & omnium ferè eiusdem æui & sequentium auctorum. Itaque nil frequentius in synodis, capitulis, annalibus & chronicis: quod semel annotasse visum est.

PRIVILEGIUM] Priuilegij nomine heic CAP. I. significatur instrumentum libertatis ab Episcopo monasterio tributæ, quam vulgo exemptionem dicimus, quo sensu hanc vocem à plerisque vsurpatam esse video. Porrò hæc formula testatur, iam tum in vsu fuisse eiusmodi libertates, & ab Episcopis, quorū præcipuè intererat conscribi & indulgeri solitas. Verè autem pri-

uilegium dicitur: nam iure communi Abates  
 Episcopis suberant, can. 4. concilij Calchedo-  
 nensis, Synodi Aurelianensis I. sub Chlodoueo  
 c. 9. c. 21. *Abates pro humilitate religionis in Episco-  
 porum potestate consistant*, ex quo in capitulis Be-  
 nedicti Leuitæ exscriptum est cap. 136. l. 6. &  
 apud Gratianum can. Abates 18. q. 2. Synodi  
 Epauensis c. 19. Aurelianensis II. sub Childe-  
 berto c. 22. Capitul. Caroli M. lib. 2. cap. 8. can.  
 Monasteria 18. q. 2. Itaque hæc formula exem-  
 plis se tuetur Lirinensis, Agaunensis & Luxo-  
 uensis cænobiorum, hoc addito, nihil de ca-  
 nonica institutione conuelli quicquid dome-  
 sticis fidei pro quietis tranquillitate concedi-  
 tur: & ideo si Abas neglexerit, aut non potue-  
 rit, ad Episcopum monachorum coërcitionem  
 pertinere. Sanè illud in ædificandis monasteriis  
 priuilegium, ab ipsis ædicatoribus anxie ex-  
 quisitum, & ab Episcopis concessum fuisse,  
 probant multa quæ adhuc extant exempla. Sed  
 tandem quo firmiter eiusmodi libertas consi-  
 steret, à summis pontificibus ea confirmari vl-  
 tro petierunt & impetrarunt. Pleraque etiam  
 cænobia, directò ab eadem sede Apostolica, se  
 ab Episcoporum eximi potestate petierunt.  
 Quod ut ab initio ex nimia antistitum in mo-  
 nachos sæuitia ortum est, ut Gregorius VII.  
 lib. 2. ep. 69. testatur, ita negari non potest mul-  
 tos libertatis obtentu fugitasse disciplinam:  
 unde frequentem exemptionum suo sæculo  
 usum exagitant Petrus Blesensis ep. 68. & S.  
 Bernardus de consideratione lib. 3. c. 8. & seqq.  
 qui tamen probat eam exemptionem, quæ pro

voluntate fundatorum, quibusdam monasteriis indulta est, ut specialius ad sedem Apostolicam pertinerent. Igitur ex hac formula patet initio Episcopos, conuentu aliorum Episcoporum habito, liberationem à sua potestate monasteriis concessisse, rogatu ut plurimum, Regum & procerum ipsorum qui ædificauerant. Cuius rei multa hodie quoque suppetunt exempla. Si quidem, præter illa quæ ab auctore heic afferuntur, & Vincentij martyris in suburbano Lutetiæ basilicam, à B. Germano Parisiensi Episcopo, à quo nunc nomen habet, simili priuilegio donatam legimus apud Aimoinum lib. 3: c. 2. quod integrè ibidem à Ia. Breulio exscriptum videre est. Rex quoque Guntchrannus, quæ ipse, vxor eius, aut binæ filiæ cœnobia cōstruxerant, multisque possessionibus & donariis intruxerant, eodem pacto ab Episcoporum conuentu confirmari enixè postulauit, & ut fieret obtinuit in synodo Valentina, quæ anno regni eius xxiv. habita est. Extat etiã Bertefridi Ambianensis Episcopi priuilegium libertatis Corbeix veteris, ad petitionem Chlotarij Regis & Bathildis Reginae conscriptum viii. Eid. Septemb. Anno vii. Chlotarij, quod easdem fermè clausulas ac præsens formula continet. Insigne vero est priuilegium libertatis ab Episcopo Parisiensi B. Dionysij monasterio datæ, quod ob celebritatem nobilissimi cœnobij, & quod à Landerico, Marculfo ætate suppari, indultum sit, & non parum ad huius capituli illustrationem facit, adscribere non grauiabor. Est verò eiusmodi in cortice scriptum,

& heic diligentissimè exscriptum.

*DIVINA largiente gratia Landericus Parisiorum Ecclesie Episcopus. Quoniam quidem inter ea que Dei disponente prouidentia, cursu temporis agimus, si quid rectè actum est, ad illius, qui & dando prouenit, & posse contulit, gloriam & nostram prosperitatem non est dubium attinere: Decet & presertim eos qui in sacris ordinibus eminere videntur, privata & publicarecitate curam agere, vt & sua peccamina adnulare, & si quid est virtutis hoc semper ad altiora studeant prouehere, & aliorum vel benefacta commendare, vel vitia inuigilent corrigere. Debet etiam esse grata omnium Dei fidelium inter se familiaritas, & in expetendis dandisque beneficiis adeo oportuna propinquitas, vt nulli prorsus digna petenti non modo, non abnuat, verum etiam vt amplius quod dignum est ab altero petere postuletur. Quapropter nouerit omnium Catholica Ecclesia cultorum generalis vniuersitas, quod Dominus gloriosissimus Cludouicus Francorum Rex, diuino irradiatus lumine, religiosa petitione humilitatis nostrae extremitatem poposcit, vt & nos & canonicorum nostrorum communis fraternitas, securitatis & incommutabilitatis priuilegium ederemus, pro reuerentia S. Dionysij, sociorumque eius Rustici & Eleutherij, qui cum eo laurea martyrii sunt redimiti, ad basilicam ipsorum vbi ipsi corpore requiescunt, & in virtutum miraculis coruscant, & vbi Dagobertus genitor suus quondam Rex, vel genitrix sua Nanthildis Regina sepulturas habere videntur. Quamquam sancta Carthaginensis synodus facta à beata memoria domno Bonifacio eiusque coepiscopis, non prohibeat monachos sub priuilegio proprio residere, vel sancti Augustini libri de Ecclesiasticis gradibus doceant, monachos sub quiete*

regulariter viuentes, sua singulari lege debere quiescere,  
& ab omni infestatione clericorum intrepidus permanere,  
ne secularis strepitus eos laedat, quos districta regula  
seruitutis Domini moderatur. Quod nos considerantes,  
dum & canonica institutio nos hac de re non praiudicat,  
vel ideo quia supradicti domini Cludouici Regis  
petitio quasi nobis iussio est, cui difficillimum est resisti,  
vel pro reuerentia tantorum martyrum, quorum patrocinio  
se ipse commisit, ut ipsis manachis secundum sanctum  
ordinem viuere liceat, & ut tam pro nobis, quam  
pro omnibus nostrae Ecclesiae fratribus Deum orent, ipsum  
priuilegium plena voluntate, vna cum consensu  
fratrum meorum, ipsis concessisse visus sum. Per quod  
decerno atque obtestificatione diuini nominis interdicto,  
ut nec ego deinceps, nec ullus successorum meorum, hoc  
audeat infringere, vel temerario ausu aliquatenus violare,  
videlicet ut omnis presbyter vel clericus ex his  
quae in ipso loco beatissimi Dionysii martyris, vel extra  
ex loco qui dicitur fons S. Remigy, sicut via distinguit,  
quae prabet iter iuxta pratum quod dicitur formosum,  
vsque ad Ecclesiam S. Quintini martyris, & illinc per  
regalem stratam donec veniatur ad viuarium in capite  
ericeni pontis, sicut prata fratrum distingunt, vsque  
ad praefatum locum fontis B. Remigy, omnes illi qui in  
hoc circumscripto spatio Ecclesiae seruiunt, sint liberi  
& absoluti ab omni debito & redditione circadarum &  
synodorum. Tamen volumus, & pro reuerentia sancti  
martyris Dionysii concedimus, ut si necessitas eis fuerit,  
ex nostro & successorum nostrorum episcopatu sine  
pretio chrisma & oleum suscipiant. Et si quis eorum  
presbyterorum vel clericorum forte aut occisus, quod  
absit, aut vulneratus fuerit, aut ex his omnibus alicuius  
iniuriae acclamatio surrexerit, quicquid ex his omnibus

ad nos pertinere videatur, hoc totum Abati, qui in ipso sancto loco præsuerit cæterisque fratribus habendum, & disponendum concedimus. Quod si aliquis calliditate aut cupiditate præuentus fuerit, & ea quæ sunt superius comprehensa temerario spiritu violauerit, tribus annis pœnitentiam agat, à communione fratrum sequestratus, & nihilominus hoc priuilegium Christo protegente, qui & adiunet illud conseruantibus, & dissipet illud destruere cupientibus, perpetuò maneat incorruptum. Quam definitionem constitutionis nostræ, ut nostris & futuris temporibus valitura sit, manus nostra subscriptionibus roborauimus, & coepiscopis, domnis & fratribus nostris rogamus, ut ipsum insuper firmare debeant. In Christi nomine Landericus ac si peccator Episcopus vrbi Parisiaca hoc priuilegium consensi & subscripsi. Munemundus Episcopus consensi & subscripsi, Gouualdus ep. cons. & subs. Vuulsolenus ep. cons. & subs. Armentarius ep. cons. & subs. Rauracus ep. cons. & subs. Malchardus ep. cons. & subs. Eligius ep. cons. & subs. Grator ep. cons. & subs. Ioannes ep. cons. & subs. Burgundofart ep. cons. & subs. Richoaldus ep. cons. & subs. Baldomerus ep. cons. & subs. Audoenus ep. cons. & subs. Taurinus ep. cons. & subs. Eustorchius ep. cons. & subs. Laridanus seu Karioendus ep. cons. & subs. Berthefridus ep. cons. & subs. Audebertus ep. cons. & subs. Elarus ep. cons. & subs. Castadius ep. cons. & subs. Luterius ep. cons. & subs. Palladius ep. cons. & subs. Aetherius ep. cons. & subs. Ingoldus ep. cons. & subs. Facto priuilegio sub die KL. Iulij in anno xv. regnante Cludouico gloriosissimo Rege. Austrolenus lector, iubente domino Landerico episcopo hoc priuilegium scripsi & subscripsi. Hunc episcoporum ea de causa conuentum memorat Aimoin. lib. 4. c. 41. & Clipiaci,

quod tum palatium in agro Parisiensi ad Sequanam erat, habitum fuisse ait: Nostri itaque deuotio hac extat animi, (inquit ibidem apud Aimoinum Rex Clodoueus) ut monasterium patris nostri domini Dionysii, in quo ipse cum consortibus testimonij veritatis requiescit humatus, & pia memoria genitores nostri, (dominus videlicet Dagobertus, ac domina Nanthildis) se sepelire mandauerunt ab omni soluiamus dominio mortalium: quatenus Abba vel fratres eo loco commanentes possessiones à parentibus nostris, siue ab aliis fidelibus Christianis, sibi traditas, absque ullius dominantis inquietudine possidentes pro salute nostra, ac statu regni nostri liberius Deum deprecantur. Huic autem nostræ suggestioni consentit venerabilis vir Landericus Parisiaca urbis præsul, in cuius diocesi cœnobium illud situm est, & cui usque ad præsens tempus subiectum fuit. Hanc ergo libertatem serui Dei imbi constitutum fuerint adepti, nulliusque præter Dei ac sanctorum eius, nostrumque (cui etiam tota natio Francorum paret) fuerint perpesti dominatum, sciant se debitori tali genitoribus nostris & nobis, eisque &c. fore obnoxios. Quæ longius ideo adscripsimus, quod & caput propositum, & superius instrumentum, manifestò illustrent. Hæc demum libertas, seu exemptio, rogatu Pipini R. à Zacharia PP. auctoritate Apostolica confirmata est, Bulla scripta in Lateranis anno V. Zachariæ, I I. NON. NOVEMB. IMPERANTE DOMINO PISSIMO AVGVSTO CONSTANTINO A DEO CORONATO ANNO IV. INDICT. VI. quæ itidem in cortice scripta, in tabulario celeberrimi illius cœnobij extat, à qua pluri-

bū Zachariæ Pontificis nomine in scriptū, filo canabino pendet.

ET NE NOBIS ALIQVIS DETRAHENDO.] Priuilegium Corbeix à Bertefrido Ambianensi Episcopo indultum, quod proximè huic formulæ accedit, eandem clausulam ita concipit: *Et ne nos ad hoc propria deliberationis instinctu posteritas aestimet decreuisse, cum etiam antiquiora, vel in nouo tempore monasteria, propria priuilegia sunt consecuta: Ex quibus ut pauca, dum longum est omnia euoluere nominemus, Agaunensium, quod velut istud est regio munere ditatum, Lirinensium, ut basilica domni Marcelli, immoque & monasterium Luxouiuense hoc videntur habere concessum, & omnem libertatem sunt consecuti, &c.* S. vero Marcelli, quod heic additur, priuilegium à Synodo Valentina confirmatum est, quæ à Guntchranno R. ob id præcipuè habita anno regni eius xxiv. eius hodie præter vnicum illud caput nihil extat.

LIRINENSIS, AGAVNENSIS ET LUXOVIENSIS.] Lirinensis quidem insulæ antiquissimum monasterium, & quod ab Eucherio Lugdunensi, Sidonio & aliis abundè celebratum est. Agaunense vero à Sigismundo Gundobaldi F. Burgundionum R. constructū fuisse testatur Gregor. Turon. lib. 3 c 5 In Ms. legabatur *Auganensis*, cuius loco veram lectionem reposui, quamquam & apud Faustum presbyterum eius sæculi scriptorem Agaunense cœnobium scriptum est. De Luxouio verò Burgundiæ cœnobio, vetus auctor vitæ S. Eligij Noiuomenis lib. 1 apud Surium refert Audoenū, seu Dadonem, Rothomagensem Episcopum

eius auctorem extitisse: quod tamen non omnibus probatur. Illud quidem constat non multo ante auctoris nostri tempora cœpisse.

SACROS PERCIPIAT GRADVS.] Monachi quippe clerici non sunt. l. generaliter 40. C. de Episcop. & cleric. Nam primis sæculis monachos extra clerum fuisse indubitatum est. Ideo can. 4. Synodi Calchedonenfis, ecclesiasticis, aut sæcularibus negotiis se immiscere prohibentur, μήτε δὲ ἐκκλησιαστικοῖς, μήτε βιωτικοῖς παρενοχλεῖν ἀλλήλοις, ἢ ἐπικοινωνεῖν. Vnde & eodem can. & can. 8. in pœnis non depositione, vt clerici, sed excommunicatione cum laicis puniuntur. Adhucque in synodo Ticinensi anni DCCCLXXVII. in qua Carolus imperator renunciatus est, *Laici & monachi perpetuo anathemate feriuntur*, qui locus extat & apud Aimoini continuatorem lib. 5. c. 35. B. Hieronymus ad Heliodorum de laude vitæ solitariæ, pluribus aliam docet esse causam monachorum, aliam clericorum, hos pascere, illos pasci. Quod infinitis patrum testimoniis probari posset, nisi certo certius esset monachos clericos non fuisse, vsque ad tempus Zozimi & Syricij Romanorū pontificum, quorum hic epist. 1. c. 23. ad Himerium, innuere videtur, licentiam se præstare monachis morum grauitate & fidei institutione commendatis, vt possint clericorum officiis aggregari. Inter opera Hieronymi legitur Epiphanijs ad Ioannem Hierosolymitanum epistola, ab eo Latinè reddita, in qua refertur Epiphanium ordinasse presbyterum monachis quibusdam Syriæ poscentibus, qui eis dominica

sacramenta conficeret.

QVEM ABAS POPOSCERIT. ] Priuileg. Berthefridi: Si quos autem gradus clericorum minores aut maiores, Abas iam dicti monasterij elegerit, siue intra aut extra monasterium sine aliqua premissa acceptione constituimus consecrare.

ALTARE BENEDICAT ET SANCTVM CHRISMA annis singulis si valuerint postulare pro reuerentia loci sine pretio concedat. ] Priuileg. Berthefridi. Altaria ad sepedictum monasterium, vel tabula si defuerint, Episcopus Ambianensis Ecclesie in Dei nomine benedicat, & chrisma sacrum conficiat sine pretio, & annis singulis pro reuerentia sanctorum sine vlllo pretio, muneris causa concedat. Priuileg. Landrici, si necessitas eis fuerit, ex nostro & successorum nostrorum Episcopatu, sine pretio chrisma & oleum suscipiant. Et quod de chrismate sine pretio dicitur, rectè id & secundum canones: Synodi Barcinonensis sub Recaredo R. c. 2. vt cū chrisma presbyteris diæcosanis pro neophitis confirmandis datur, nihil pro liquoris pretio accipiat. Meldensis seu verius Parisiensis ca. 45. Vt nemo Episcoporum, vel quilibet minister Ecclesiasticus, propter sacrum chrisma aliquid muneris accipiat, neq. denarios vel qualibet munuscula.

NULLAM PENITVS ALIAM POTES-  
TATEM in monasterio, neque in rebus, neque in ordinandis personis, &c. ] Berthefridus, vt quicquid prædicti monasterij monachis sub libertate euangelica Regio munere, seu à quibuslibet Christianis in agris, in mancipiis, vineis, syluis, auro, argento, vel vestibus, vel quibuslibet speciebus ad prædictum monasterium pertinentibus, à quibuslibet collatis, aut deinceps collatura sunt, sæpè dictum monasterium, vel monachi ibidem

degentes *vita nostra temporibus*, seu *successorum nostro-*  
*rum*, nec ego, nec ullus sibi pontifex, aut aliquis ex ordi-  
 ne clericorum *ordinatores Ambianensis Ecclesie* suis  
*vobis* usurpare aut minorare, aut ad ciuitatem aliquas  
*species deferre presumat.* Quæ summam & ad  
 verbum ferè referuntur à Nicolao I. PP. ep. 24.  
 qua illud Ambianensis Episcopi priuilegium  
 confirmat. Illud ipsum cauetur Synodo Valen-  
 tina, quæ basilicæ S. Marcelli & S. Sympho-  
 riani rogatu Guntchranni R. libertatem con-  
 cedit, *Si quid per quascumque auctoritates, aut scriptu-*  
*rarum epistolas, prefatus Dominus Rex, vel supra nun-*  
*cupata regalis sua, filiaque eorum, siue in ministerio al-*  
*tariorum, siue in quibuscumque speciebus, quæ ad di-*  
*uinum cultum pertinere noscuntur, contulisse vel adhuc*  
*conferre voluerint, neque ab Episcopis locorum, neq; po-*  
*testas Regia quocumq; tempore successura, de eorum vo-*  
*luntate quicquã minorare, aut auferre presumat. Quod*  
*si quis hoc quocumque tempore temerare aut auferre*  
*presumpserit, veluti necator pauperũ, anathemate, &c.*

ARCHIDIACONI.] quippe illi res tem-  
 porales & Ecclesiæ opes dispensabant. Pruden-  
 tius Peristephanon, de B. Laurentio, quem Le-  
 uitam primum è septem-uiris dicit.

*Cælestis arcanum domus*  
*Fidis gubernans clauibus*  
*Votisque dispensans opes.*

IN ALTARIO OFFERTVM.] Solenne tunc tē-  
 poris erat, res donatas Ecclesiæ vel traditas, aut  
 saltem earũ instrumenta altari imponere. Infrà  
 c. 2. aut de offerriōne in altario. Synodi Aurelian. I.  
 ca 16. vt de his quæ in altario oblatione fidelium confe-  
 runtur, medietatem Episcopus sibi vindicet, & c. 17.

de his quæ in altario accesserint. Leg. Alaman. tit. 1. ubi de charta donationis ad Ecclesiam coram sacerdote, qui ad eandem Ecclesiam deseruit super altare ponat. Leg. Baiuuarior. tit. 1. & tunc ipsam epistolam ponat super altare, & sic tradat pecuniam. Ideo & Carolus M. R. facta donatione Ecclesiæ Romanæ, eam super altare S. Petri, & postmodum inuis in sancta eius confessione posuit, inquit Anastasius in Hadriano. Eius rei formula traditur in Capitulis Benedicti Leuitæ lib. 6. c. 285. & ipsam scripturam coram altari aut suprâ tenet, dicens eiusdem loci sacerdotibus atque custodibus, offero Deo atque dedico omnes res, quæ hac in chartula tenentur insertæ. In vet. instrumento Maioris Monaster. apud Pithoeum, quod dum de more super altare posuissent. In tabular. Corbeix factum donum per manus Roberti Flandriæ consulis, necnon Gaufrædi Parisiorum præsulis super altare S. Petri imposuit. Quo referti posset illud, qui altari seruit uiuat de altari.

AUFERRE PRESVMANT.] Illud nominatim cauendum monachis fuit, alioqui iure veteri id omne quod ecclesiis totius diocesis offerebatur Episcopo cedebant, Synodi Aurelianensis III. sub Childeberto can. 5. Si quæ oblationes, in quibuslibet rebus atque corporibus collatæ fuerint basilicis in ciuitatibus constitutis, ad potestatem Episcopi redigantur, & in eius sit arbitrio, quod ad reparationem basilicæ, aut obseruantiam ibi substantiam deputetur. Synodus Cabilonenfis apud Gratianum, Decretum est, ut omnes Ecclesiæ cum dotibus suis & decimis, & omnibus suis in Episcopi potestate consistant, & ad eius ordinationem semper pertineant. Verùm cum om-

nia sibi vindicarent Episcopi, canonibus demum prouisum fuit, vt certa parte ab Episcopis præcepta, reliquum immune Ecclesiis seu parochiis superesset: qua de re elegans est constitutio in Concilio Carpentoratenſi sub Cæsario Arelatenſi: Synodi Aurelianenſis I. ca. 16. De monasteriis vero Concilio Ilerdenſi can. 3. statutum est *vt quæ in iure monasterij de facultatibus offeruntur, in nullo diocesana lege ab Episcopis contingantur*, quod quidem antum in Gallia obtinuerit, nescio, cum id ipsum nominatim in omnibus monasteriorum priuilegiis exactissimè cautum sit, quod alioqui frustra esset. Extat in tabulario Corbeia Benedicti IV. PP. epistola qua eius cœnobij priuilegia cõfirmantur, quæ id ipsum statuit: cuius verba, quæ huc faciunt, quod nondum edita, ac ne quidem vlla illius pontificis epistola, & non minus piè quam eleganter scripta sint, exscribere non pigebit. Sic igitur habent: *Cumque Galliarum permaximè Ecclesias fidelium collationibus à Domino constet esse ditatas, vt nemo sit ferè Episcoporum, cui sua sumptus Ecclesie satis superque non sufficiant, cuius gratia necessitudinis, quæ seruorum Christi sint vsibus collata, in suos committere sumptus præsumant? Si enim clericorum qui de propriis habundant redditibus communicatio prohibetur cum eis quæ conferuntur Ecclesie, ne dum illi acceperint, qui de propriis habundant, eorum qui nihil habent inopia non leuetur, qua conscientia Episcopus sue sumptibus Ecclesie sufficiens, quæ seruorum Dei fuerint vsibus collata præsumat contingere? nec veretur quod per prophetam Dominus exprobrat sacerdotibus, dicens, Rapina pauperis in domibus vestris. Pauperes*

enim Christi esse quis nesciat, qui contemntes substantiam mundi, saluatoris nostri vestigia sectantes, qui cum esset diues pro nobis pauper effectus est sanctæ professionis titulum sibi diuitias arbitrantur? Quisquis igitur aliquid horum, quæ fuerint ad necessitates eorum collata præsumpserit, & suis commodis applicuerit, rapinam in domum suam de substantia pauperis congregat. Omnia quæcumque sunt Ecclesiis oblata vel delegata in pauperum, pupillorum, viduarum, certum est necessitates destinata. Quare quisquis ex his aliquid in suas utilitates exigit, rapinam pauperis in domum suam congestam detinet, &c. Scriptum per manum Theodori notarij & scriptarij S. R. E. mense Octobrio indictione I V. Annus est vt videtur DCCCC. Pontificatus eius primus. Nam etsi non adscribatur, tamen pluribus Romanorum Pontificum bullis mihi constat sæpe annum Pontificatus primo anno omitti.

PONTIFEX DE IPSA CIVITATE COERCERE DEBET. ] Obserua in casum negligentia iurisdictionem & potestatem Episcopo seruata, ne impunita scilicet essent maleficia, & canonica auctoritas conuelleretur.

DOMESTICIS FIDEI. ] .i. fidelibus, qui diuino seruitio iugiter incumbunt, & quorum fors Dominus est: infra c. 2. & alibi passim. Sidon. lib. 6. ep. 10. lib. 9. ep. 8. & alij.

REATV ANATHEMATIS. ] Frequens tum erat, & etiam postea, anathematis pœnam instrumentorum sanctionibus inferere, vt in Landerici & Berthefridi priuilegiis, & infra lib. 2. c. 1. 3. 6. & passim in veteribus formulis sacris & profanis, & in Regum quoque diplomatibus.

matibus. In Præcepto Dagoberti. *Si quis hæc non obseruauerit, & hic & in futuro anathema sit.* Sic & in Testamento Leodebodi Abatis de dotatione & constructione cænobij Floriacensis. Nec dissimiliter apud Greg. Turon. lib. vii. c. vi. in pactione fratrum ne Parisios vnus incōsulto altero ingrederetur, *essetque Polioctus martyr, cum Hilario atque Martino confessoribus, iudex ac retributor eius.*

ET NOS ET FRATRES NOSTRI DOMINI EPISCOPI.] qui heic non tantum adhibentur vt testes, verum & quia eiusmodi libertas non nisi magno in conuentu episcoporum indulgebatur: infra cap. 2. *iuxta quod ab illo Pontifice, vel cæteris dominis episcopis &c. Berthefridus. Quam definitionem constitutionis nostræ, vt nostris & futuris temporibus valitura sit, manus nostra subscriptionibus roborauimus, & coepiscopos dominos & fratres nostros rogauimus, vt ipsam in omnibus confirmare debeant.* Iisdem verbis Landericus in libertate S. Dionysij, quæ à magno episcoporum numero subscripta est. Quam quidem Aimoin. lib. iv. c. xli. Clypiaci in conuentu Pontificum & procerum totius gentis factam esse testatur, cui interfuere *prope omnes Galliarum episcopi, vt ille ait.*

CONCESSIO REGIS AD HOC PRI-CAP. II. VILEGIUM.] Satis ostendit hoc lemma non priuilegio tantum episcopi, sed & consensu & confirmatione Regis opus fuisse: quod plenè hæc formula declarat, quæ superioris etiam verba recenset. Chlodouei quoque R. Dagoberti F. litteræ quibus Landerici priuilegium

E e

confirmatur, in illo cœnobio asseruantur. Hincmarus Richildi Reginae apud Flodoardum Hist. Rhemenf. lib. III. c. xxvii. *Reducit etiam ob memoriam, qualiter præfatus Rex petente Irmintrude Regina de rebus tunc suis per consilium Parduli Laudunensis episcopi, privilegium ad idem Oriniacum monasterium à se dictari, & à cæteris Episcopis firmari rogauerit, & ipse Rex confirmauerit.*

VIRIS APOSTOLICIS.] Sic tum vocabantur episcopi, infra cap. 3. 5. 6. 7. II. 16. 22. 23. & passim apud Marculfum & veteres formularum auctores, eademque ratione apud eisdem apostolica sede digni, & apostolica sede colendi. Chlodoueus R. in epist. ad Synodum Aurelian. I. *Orate pro me Domini sancti & apostolica sede Papa dignissimi.* Sic & apud Gregor. Turon. lib. 9. c. 41. & 42. extant duæ epistolæ, quarum hoc est principium. *Domnis sanctis & apostolica sede dignissimis.* Ita & apostolicam sedem, cathedrâ Tricassinæ vrbis dixit Sidon. lib. 6. ep. 1. & apostolicum lib. 6. ep. 4. & 7. & alibi sæpe quibus locis multa eruditissimè Io. Sauaro, Aruernorum & Præses & decus, quem non exscribo. Ideo autem apostolicos episcopos dictos esse apparet, quod in locum apostolorum illi successerint. Præter auctores quos ille notauit, Cyprianus ep. XLII. & LXV. Clemens ep. 1. Anacletus ep. 2. & apud Gratianum can. In nouo dist. 21. & Greg. lib. 6. ep. 27. Hincmar. ep. III. c. IV. Idemque in libro, Aduersus Hincmarum Laudunen. c. XII. quamquam speciali nota, Romanam sedem apostolicam dici Synodi & patres vbiq. conclamerit.

quod etiam Balsamo agnoscit in præfat. concilij Carthaginensis. quæ demum appellatio soli pontifici Romano data est, adeò vt *apostolicus*, nullo alio adiecto sequentibus sæculis diceretur, nostrisque vernaculis scriptoribus *apostole*.

A V T S V P E R P R O P R I E T A T E , A V T S V P E R F I S C O . ] His verbis duæ notantur bonorum species, & velut maxima rerum diuisio, quæ eo sæculo recepta erat, quod & ex c. 33. infra colligi potest. Omnia namque prædia, aut propria erant, aut fiscalia. Propria seu proprietates dicebãtur, quæ nullius iuri obnoxia erãt, sed optimo maximo iure possidebantur, ideoque ad heredes transibant. Fiscalia vero, beneficia siue fisci vocabãtur, quæ à Rege vt plurimum, posteaque ab aliis ita concedebantur, vt certis legibus, seruitiisque obnoxia, cum vita accipientis finirentur. Rursus propriũ, seu proprietas duplex: alia quippe *Alode*, seu *hereditas*, proprium paternum aut maternum erat, Alia non à parentibus accepta, sed labore & parsimonia cuiusque comparata, *ex comparato*, aut *ex cõquisitis* dicebatur. Sed postea & res comparatas alodij nomine vocauerunt: eoque peruentum vt *alodia* liberi iuris prædia, quæ nec fidem, nec pensitationẽ deberet generaliter dicta sint, ad feudi differẽtiam, quo sensu Alodij vocabulũ adhuc hodie iure nostro vsurpatur. Hęc diuisio passim apud medijs sæculi scriptores notanda occurrit. j. c. 12. *villas illas, sitas in pago illo, quas aut munere regio, aut de alode parentũ, vel vnde cũq. ad præsens tenere videtur, & l. 2. c. 17. Greg. Tur. l. 9. c. 38. Sunnesigilus & Gallomagnus, primas à reb. quas à fisco meruerãt*

in exiliū retruduntur, & c. quib. nihil aliud est relicū, nisi quod habere propriū videbantur. Idem lib. vii. c. xl. de vxore Mummoli, Mulieri nihil amplius quam ea qua de parentibus habuerat relinquens, Capitul. Caroli M. lib. iii. c. xix. Auditū habemus, qualiter & comites & alij homines qui nostra beneficia habere videntur comparant sibi proprietates de ipso nostro beneficio, lib. iv. c. xxviii. Quicumq. suum beneficium occasione proprij deseruit habuerit. Sic & in testamento Caroli M. c. iv. & in diuisione regni à Ludouico Pio facta c. v. beneficium ab hereditate separatur. Proprietatem autem, seu terram propriam (vt Gregor. Turon. appellat lib. iii. c. xv.) aut ex alode, aut ex comparato fuisse, ex formulis supra prolatis, & li. ii. c. vi. & vii. manifestum est. Fiscus vero nomen frequenter in eius æui auctoribus, & vetustissimis instrumentis occurrit. Childebertus R. apud Aimoin. li. ii. c. xx. basilicæ S. Vincentij martyris, *fiscum Isciacensem* concedit. Sangallensis lib. i. c. xiv. Cum illo *fisco vel curte, illa abbatiola vel ecclesia, tam bonum vel meliorem vasallum, quam ille Comes est, vel episcopus fidelem mihi facio.* Caroli Calui pro S. Dionysio præceptum, *fiscus noster vbi fiscalinus Manbertus custos esse videtur.* Sigebertus ad annum dcccclxxxvi. & dcccxc. Ex quibus locis, plenius autem ex hoc Marculfi loco, declaratur *fiscum* id appellari quod à *fisco* profectum, Regis liberalitate alicui in beneficium concessum est, & ideo nomen *fisci* seu *terre* *fiscalis* retinebat. Capitul. Caroli M. lib. iii. c. lxxxii. Synodi Valentinae sub Lothario Imp. c. x. De alode autem infra c. xii.

AD PETITIONEM ILLIVS.] Hoc enim libertatis priuilegium, vt plurimum rogatu eorum qui construxerant, aut dotauerant concedebatur. Atque adeo plerumque sub ea conditione donationes fieri solitas ex lib. II. cap. I. apparet. *Ea scilicet ratione atque pretextu, vt remota pontificum, simulque ecclesiasticorum officialium, seu publicorum omnium potestate, &c.*

ADIICIENTES.] Addit Rex clausulam immunitatis à functionibus publicis, cuius integra cap. seq. traditur formula.

IN LUMINARIBVS.] Quorum vsus peruetustus, & à primordio nascentis ecclesiæ, in antelucanis scilicet cœtibus, vt Iræneus, Tertullianus & alij passim testantur. Tandemque pace Christianis data, ecclesia id ex prisco more retinuit, tum in Dei honorem, tum in signum lætitiæ, vt B. Hieronymi verbis vtar, qui Vigilantium cereorum vsum reprobantem grauiter redarguit. *Nam & absque martyrum reliquiis (inquit) per totas orientis ecclesias, quando legendum est euangelium, accenduntur luminaria, iam sole rutilante, non vtique ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum: vnde & virgines illæ euangelicæ, semper habent accensas lampades suas, &c.* Et quidem ignem honoris gratia nō imperatoribus modo, verū & aliis prælatum fuisse certum est, qua de re nos si Deus dederit, aliàs plura. Porro hanc de luminaribus clausulam habet præceptum Caroli R. in continuat. Aimoin. lib. V. c. I. itemque sæpe in Mindensis ecclesiæ priuilegiis quæ excusa extant, & omnibus pænè diplomatis adscriptam videre est.

EMVNITAS REGIA. ] Immunitatem, quæ & emunitas facili mutatione eo sæculo vocabatur, Modestinus in leg. xv. De excusat. ἀλειτουρησίαν πολιτικῶν ἢ δημοσίων λειτουρησιῶν definit: eademque ἐλευθερία τῶν λειτουρημάτων Iustiniano dicitur. Hanc primi Christiani Imperatores, parcam & modicam ecclesiis tribuerunt, & initio quidem à ciuilibus & personalibus muneribus tantum, quod ex lib. xvi. Cod. Theod. facile perspicitur. Plenissima vero immunitas à Regibus nostris concessa est, vt merito dici possit, suo exemplo cæteris principibus eandem immunitatem ecclesiis concedendi auctores fuisse. Eius itaque formulam hoc capite tradit Marculfus, vt nullus scilicet iudex, aut exactor fisci nomine, audeat aliquid in villis & rebus ecclesiæ exigere, nec iurisdictionem aliamue potestatem ibidem exercere. Meminit huius immunitatis Synodus Aurelianensis I. c. vii. *ipsorum agrorum vel clericorum immunitate concessa, cuius initio capitatis (vt id quoque obiter indicem) non obligationibus, sed oblationibus legendum esse crediderim, De obligationibus vel agris, quos Dominus noster Rex ecclesiæ suo munere conferre dignatus est, &c.* In Synodo Ticinensi à Ludouico Italia R. petunt episcopi, vt emunitates progenitorum vestrorum ita conseruari præcipiatur, sicut à glorioso genitore vestro constitutum est, quibus respondet Ludouicus, *Statuimus vt ecclesiæ Dei per totius regni nostri fundata terminos, sub nostra emunitatis tuitione secura, cum rebus & familiis permancant, &c. earumque rectores propriis vtantur privilegiis, Similiter & clerus omnis proprio fungatur*

ministerio, nemine molestante nostri terroris formidine. Anteriorum Regum constitutiones, quarum meminit, extant apud Ansegisum lib. III. c. xxvi. & Benedictum Leuitam li. v. c. cXLVIII. Hoc autem priuilegium, cuius specimen heic extat, *præceptum immunitatis* à Flodoardo dicitur Histor. Rhemenf. lib. II. c. xi. de Rigoberto episcopo, qui illud à Dagoberto R. suæ impetrauit ecclesiæ, *suggerens qualiter ipsa ecclesia sub præcedentibus Regibus, à tempore domni Remigij, & Clodouæ regis quem ipse baptizauit, ab omni functionum publicarum iugo, liberrima semper extiterit.* Neque vero immunitatis istius præceptum, ab amortizatione, quo forèsi verbo hodie utimur omnino alienum est. Nam & pleraque cœnobiorum tabularia hanc immunitatem, & amortizationis nomine inscribunt. Quod tamen nõ eò pertinet, si attentius spectetur, ut à quocunque vectigali, & soli tributo vacationem præstet, si fortè censualis terra, aut tributaria fuerit, ut apparet ex Capitul. Caroli M. lib. I. cap. xci. *vnique ecclesiæ vnus mansus integer absque vllō seruitio adtribuatur, & c. & si aliquid amplius habuerint, inde senioribus suis debitum seruitium impendant.* Synodi Meldensis c. LXIII. quo pertinet & de terra tributaria capitul. lib. IV. c. xxxvii. Eiusdem immunitatis, eadem penè formula & conceptione verborum, diplomata extant apud Flodoard. Hist. Rhemenf. lib. II. cap. xi. Sigonium De Regno Italiæ lib. v. Collectanea Camuzatij Trecensis: in ecclesiæ Mindensis priuilegiis, Io. Pistorij beneficio editis, & in veteribus cœnobiorum scriniis.

Emunitatem porrò pro immunitate hoc seculo, & sequentibus dictam fuisse, iam obseruauit nunquam satis laudatus Fr. Pithæus, in eruditissimo ad Capitula glossario.

NULLVS IVDIX PUBLICVS. ] Sic in immunitate monasterij Deruensis, à Childerico R. indulta, quæ in collectaneis Camuzatij extat, *vt nullus iudex publicus, quolibet modo iudicaria accinctus potestate in curtes ipsius monasterij ubicumque ad presens eorum maneat possessio vel dominatio, aut quod inantea vt diximus fuerit additum, vel condonatum, nec ad causas audiendum, nec fideiussores tollendum, nec freda exigendum, nec mansiones faciendum, nec rotaticum infra vrbes vel in mercatis extorquendum, nec vllas paratas, aut quaslibet redhibitiones exactare presumar.* Ita & Flodoardus Hist. Rhemenf. lib. ii. cap. ix. de Dagoberti R. præcepto, *vt nullus iudex publicus in ipsas terras auderet ingredi, vt mansiones intrando faceret, aut qualibet iudicia, vel xenia ibidem exigere vllatenus presumeret.* Eadem quoque complectitur priuilegium à Carolo M. Gradēsi ecclesiæ indultum, apud Sigonium de Regno Italiæ lib. iv. & illud quod ecclesiæ Patauinae datum est, lib. v. Sic denique S. Martini, S. Dionysij, Corbeia & Mindensis ecclesiæ priuilegia, quæ eisdem clausulas, & Marculfo simillimas cōceptis penè verbis continent. Ad quid vero *iudicis publici* nomen? An non omnes publici iudices erant? Pataui aliquandiu publicos ad priuatorum distinctionem dici, vt publici fuerint qui Regij essent, regiamque iustitiam exercerent, priuati autem qui priuatorum dominorum loco ius

dicerent. Namque tum aut saltem Caroli M. sæculo priuatas iustitias fuisse ex quibusdam locis non obscure colligi potest, vt in Capitul. lib. II. c. XLIV. Dagobertus R. in immunitate S. Dionysij, data Parisiis Anno X. regni, IV. KL. Augusti. *Et vt ab omnibus optimatibus nostris, & iudicibus publicis ac priuatis, melius ac certius credatur, &c.* quæ etsi non aliena viderentur, mutauit tamen sententiam succurrente altera veraque, ni fallor, interpretatione: Publicus enim iudex ecclesiastico iudici opponitur in capitul. Caroli M. lib. V. c. XIV. *Vt omnes iustitias faciant, tam publici quam ecclesiastici, & lib. VI. c. CVI. Vt episcopus iudices publicos commoneat, &c.* Qua voce Anianus vtitur ad leg. XII. De episcop. & cleric. Cod. TH. *specialiter prohibetur, ne quis audeat apud iudices publicos episcopum accusare.* Vnde desumptum videtur cap. CCXXXVII. lib. V. Capitul. Benedicti Leuitæ. Cuius ratio peti potest ex leg. III. De episcopal. audient. Cod. Theod. in qua Valentinianus, Theodosius, & Arcadius, Imppp. de clericis aiunt, *Habent illi iudices suos, nec quidquam his publicis commune cum legibus.*

PRÆSVMAT INGRESSE. ] infra cap. IV. vt sicut constat ab antedictis principibus de villis præfata ecclesia domni illius integram emunitatem, absque introitu iudicum fuisse concessam: & in formula immunitatis sanctorum quæ XLIV. inter Anonymi Formulas extat. In cœnobij Deruensis immunitate Childerici R. corrupta est hæc clausula, sed quæ facillime restitui potest, *in omnibus locis & territoriis vbi aliquid possidere videntur, absque*

*interdictu iudicium.* ex his enim planum est, *absq; introitu iudicium* legendum esse.

VALEANT DOMINARE. ] Vides hanc terrarum ecclesiasticarum immunitatem, præcipuè ad iurisdictionem & iustitiam pertinere, vt scilicet eorum subditi & coloni à nullo iudice distringi possint, vt sæculi verbis vtat, quod & clare ostendit charta Henrici I. R. anni MLX. quæ inter Martiniana priuilegia excusa est. quo fit, vt eo nomine in subditos iurisdictionis eis concessa videatur, quam illi per Aduocatos & Vicedominos exercebant, qui inter iudices frequenter apud Ansegisum recensentur. Ottho Magnus in priuilegio Mindensis ecclesiæ anno DCCCCLXI. regni eius XXII. hominibus quoque famularum eius monasterij facientibus, qui Saxonice *Malman* dicuntur prædictum mandeburdum & iurisdictionem nostram constituimus, vt etiam coram nulla iudiciaria potestate examinentur, nisi coram Episcopo, aut Aduocato, quem eiusdem loci Episcopus elegerit. Quod & in Henrici, Conradi, Otthonis & aliorum diplomatibus repetitur.

IUNIORES. ] Carolus R. apud Aimoin. continuat. lib. v. c. i. *nec vos aut iuniores vel successores nostri*, In diplomatibus Caroli M. Hlotharij & Theoderici in eruditissimi viri FR. Pithæi Glossario. *Neque vos, neque iuniores, seu successores vestri.* Marculfus cap. xxix. & *nec vos, nec iuniores, aut successores vestri*, quæ verba iuniores pro successoribus dici, quasi nepotibus, & postea nascendis, satis apertè demonstrant. Vereor tamen ne hoc loco, & cap. xxiv. iunio-

ris nomen aliud significet, cum & iuniores, & successores ibidem distinctis verbis & clausulis nominentur. Iuniores enim hoc & sequentibus sæculis non ætatis, sed conditionis nomen est: quod non aliena relatione *seniori* opponitur, quem etiam non ætatis, sed honoris causa dici & pro domino vsurpari, notum est, & postea dicetur. Itaque iuniores essent, subditi, & inferiores. Carolus. M. apud Ansegisum lib. I. c. CLXVII. *Vt primo omnium SENIORES semetipsos de ebrietate caueant, & eorū IUNIORIBVS exemplum bonū sobrietatis ostendant.* lib. III. c. LXIII. *De vniuersari populo, & vnusquisque suos iuniores distingat, vt melius obediant, ac melius consentiant mandatis imperialibus.* Leg. Alamannor. Tit. LXXVIII. §. *Si coquus qui iuniorem habet occiditur.* Hincmar. ep. III. c. XVII. Formula vetus ex cod. doctissimi viri, nuper magna rei litterariæ iactura fato functi Iac. Bongarsij, quam inter varias XXIII. edidimus, in *lustris viri illius Comitis, sui iuniores non exinde sic fecerunt, quomodo eis fuit demandatum, vt planè appareat apud Marculfum & aliàs sæpe pro ministris iuniores dici, quos & hæc etas, & sequens frequentius fermentes nominauit.* Sic accipio & apud Gregor. Turon. lib. v. cap. XXVI. *iuniores ecclesiæ, à iunioribus ecclesiæ iussu bannos exigi, pro eo quod in exercitu non ambulassent,* & apud Benedictum Leuitam lib. v. c. CXXI. & lib. VI. c. CLIV.

AD AVDIENDAS ALTERCATIONES.]

Caroli R. præceptum de S. Martini basilica, de reb. ipsius sancti in regno nostro Austria, Neustria, & Burgundia, Aquitania & Provincia, &c. vt aliquis

*iudex publicus fisci nostri, ad agendum vel causas audiendum, seu freda vel inferendas exactandum, vel teloneum tollendum habere non præsumat, sed quicquid exinde ab antiquis temporibus fiscus noster accipere consueverat, omnia ex nostro fisco reddimus, ut in luminaribus ipsius sancti Martini vel alimonia pauperum, seu stipendia monachorum proficiat.*

FREDA. ] Gregor. Turon. De Miracul. S. Martini, lib. iv. c. xxvi. clarè interpretatur. *Afirmavit Rex quosdam ex his qui absoluti fuerant ad se venisse, compositionemque fisco debitam, quam illi fredum vocant, à se indultam. Carolus M. in Capitul. Hoc quoque iubemus, ut iudices nominati, siue fiscales, de quacumque causa freda non exigant, priusquam facinus componatur, &c. tertiam partem coram vestris fisco tribuat, ut pax perpetua stabilisq; permaneat, ex quibus postremis verbis tentari posset, fredum tertiam esse compositionis quæ parti soluenda erat. Nam in quibusdam causis, quæ legibus expressæ erant, præter compositionem, & fisco fredum soluebatur: quo nil frequentius in veterib. legibus, ut in lege Sal. tit. xiv. & leg. Alaman. tit. i. & iii. & passim in aliis. Litis enim expensæ nondum vsu receptæ erant, ut infra c. xx. dicitur. Fredum vero Ioach. Vadianus & Amerpachius à Germanica voce *Frid* deducunt, quasi dicas violatæ pacis pœnam: paci namq; observandæ, & ne quis eam infringere audeat multis ab annis Germani student, legibusq; obligantur. Quod quidem Germanis expendendum relinquo: Dicam tamen pacis conservandæ leges, quas *treugas* scriptores vocant, à Friderico I. Anobardo, cœpisse, qui id in expeditione*

Italica sanxit, ad priuata bella & diffidia, quæ tum nimium inualuerant tollenda, vt Radeuicus lib. III. c. xxvi. testatur. In veteribus autem legibus, fredii vox aliud sonat. Illud ipsum descripsit Tacitus de moribus Germanor. *Leuioribus delictis pro modo pœnarum, equorum, pecorumque numero conuicti multantur, pars multa regi vel civitati, pars ipsi qui vindicatur, vel propinquis eius exsoluitur.* Non omittendum, fredii verbum & functionem adhuc Friderici II. Imp. temporibus durasse, vt edictum eius palam est.

MANSIONES AVT PARATAS.] Merito hæc duo coniunguntur, vt & cap. seq. *nec mansiones aut paratas faciendum,* Nam apud Sigonium & in antiquis principalibus litteris paratæ perpetuo mansiones consequuntur: & vero proxima sunt: adeo vt in quibusdam locis vnum pro altero vsurpetur, quamquam diuersa nomina sint, & diuersa etiam iura. Id ius mansiones faciendi, mansionaticum dicebatur. Carolus M. Pipino F. Italiæ R. *ceteri per singula territoria habitantes ac discurrentes mansionaticos & paraueredos accipiunt.* Ludouicus Pius apud Ansegisum lib. II. c. xvii. *vbi modo via & mansionatici, à genitore nostro & à nobis per capitulare ordinati sunt,* & alibi sæpè. Quod ius non satis rectè, pace tanti viri dixerim, Sigonius De Regno Italiæ lib. vii. interpretatus est. Diploma Ludouici & Lotharij in continuat. Aimoin. lib. v. c. x. *expensas ad hospitum susceptiones,* dicit, itidemque Carolus R. c. xxxv. *vbi de Abate S. Germani, neque seruitia ex eis exactet, vel paraueredos, aut expensas ad suas vel ad hospitum susceptiones re-*

*cipiat, siue mansionaticos inde exigat. Atq; etiã man-  
 sionũ nomen hoc ipsum manifestat. Tunc nãq;  
 solebant subditi hospitio non modo recipere  
 missos & legatos principis, comites, duces &  
 eorum ministros, verum & viaticum eis pro  
 vniuscuiusque dignitate præstare. Carolus M.  
 Capitul. lib. III. c. XXXIX. *De missis nostris discer-*  
*rentibus, vel cæteris propter utilitatem nostram iter*  
*agentibus, vt nullus mansionem contradicere eis præsu-*  
*mat, & lib. IV. cap. XXX. Ludouicus Italia R.*  
*in Synodo Ticinensi, quando etiam Episcopos, Ab-*  
*tes vel Comites, seu fidelium nostrorum quempiam, in*  
*propria villa morari contigerit, cum suis, in suis ma-*  
*neant domibus, ne sub obtentu hospitij vicinos oppri-*  
*mant. In eam rem Tractoria dabatur, cuius for-*  
*mulam infra cap. XI. videbimus. Regis quoque*  
*recipiendi idem onus prouincialibus incum-*  
*bebat, eiusque rei cura ad Mansionarium spe-*  
*ctabat, cuius officium latè ex Adalhardo de-*  
*scribit Hincmar. ep. III. cap. XXIII. Inter quos*  
*etiam Mansionarius intererat, super cuius minist-*  
*rium incumberebat, sicut & nomen eius indicat, vt in*  
*hoc maximè sollicitudo eius intenta esset, vt tam su-*  
*pradicti actores, quamque susceptores, quo tempo-*  
*re ad eos illo vel illo in loco Rex venturus esset, propter*  
*mansionum preparationem, vt oportuno tempore præ-*  
*scire potuissent: ne aut inde tarde scientes, propter af-*  
*fectionem familia importuno tempore peccatum, aut*  
*isti propter non condignam susceptionem, &c. Is man-*  
*sionarius in aula Constantinopolitana *δνεξου-**  
*μογος* vocabatur, vt eruditè obseruat, & Suidam  
 emendat Io. Meurtius in Glossar. Nosque eum  
 hodie mansionum marescallum dicimus. Tectum*

& hospitium quidem, siue vt illi vocabāt *mansionem* præbere, *mansionaticum* vocabatur, *paratarū* vero nomine, quæ pro viatico & alimētis præbebantur. Verum hæc duo, vt iam diximus, etsi diuersa nomina nacta sint, tamen vt plurimum simul exigebantur. ideoq. mutuo se cōcomitari solent in omnibus veteribus instrumentis, atq; adeo vnum pro altero non rarò sumitur. In Præcepto concessionis à Ludouico Pio Hispanis dato, *missis nostris, aut filij nostri, quos pro rerum oportunitate illas in partes miserimus, aut legatis qui de partibus Hispania ad nos transmissi fuerint, paratas faciant, & paulò post de Comite ne illos grauet, neq; eos sibi vel hominib. suis aut mansionaticos parare, aut &c.* Hincmarus, nec mansionaticos suis amicis, aut hominibus à presbyteris parari. Qui mos origine Romanus est, hospitumq; susceptionem *metatum* illi appellabant, de quo titulus est xl. li. xii. Cod. & publico sumptu alii eos qui à Principe cum tractoria alicubi dirigebantur, declarat titulus eiusdem libri De tractoriis & statiuis. Originem aperit Liuius initio lib. xlii. de L. Posthumio Albino Cos. qui primus litteras misit, *vt sibi magistratus obuiam exiret, locum publicè pararet, in quo diuerteretur, iumenta que cum exiret inde præsto essent.*

PARATAS FACERE.] Nominis huius interpretatio & notatio à superioribus pendet. Itaque nil amplius de eo dicere statueram, nisi aduertissem, ibidem quoq; Sigoniū impegisse, quòd non causa obtrectandi clariss. viri memoria, dico, sed veritatis, & ne alios eius auctoritas in errorem trahat. Ille enim ait sumptus fuisse

quos populi, in vias pontesque fluminum quastransituri, aut quo aditurus Rex erat impendebant. Quod minus rectè dictum esse ex locis supra allatis, atque etiam diplomatibus, quæ apud eum extant apparet. Cl. Falsetus, quem verè Varronem Francicum dixerimus, optime paratas vno Gallico verbo *liurces* interpretatus est: sic enim hodie dicuntur cibi, qui in familia Regia, ministris & familiaribus in specie quotidie præbentur. Tunc enim, vt diximus, non hospitium modo Regi, aliisque ab eo missis dabatur, verum & parabantur alimenta, adèò, vt ex omnibus, inquit Ottho Frisingensis, De gestis Friderici lib. II. c. XII. *quæ terra producere solet, vsui necessariis, exceptis vix bubus & seminibus, ad excolendam terram idoneis, de cæteris quantum necesse fuerit, militi profuturis, ad regios vsus suppeditare æquum illi arbitrentur.* Capitul. Caroli M. lib. IV. c. XXX. c. LXIX. & c. LXXIII. Vet. Formul. apud Pithæum, in Glossar. paratas, *pastus* rectè agnominat. Non ad mansionaticos vel repastos exigendum, ibidem, non pro pasto exigendo, non pro mansionatico requirendo. Illud addam, paratarum munus non ad hospitis priuati tantum onus pertinuisse, sed videri sumptus illos publicè collectos ab incolis præstitos. Id colligo tum ex verbo publicè, quod sæpè titulo, De tractoriis Codd. Theod. & Iustinian. repetitur, tum ex Capitul. lib. IV. c. LXIX. vt *missi nostri, qui vel episcopi, vel Abates, vel Comites sunt, quandiu propè suum beneficium fuerint, nihil de aliorum coniecto accipiant. Postquam vero inde longe recesserint, tunc accipiant secundum quod in sua tractoria continetur. Vassi vero nostri & ministeriales,*

quæ

qui missi sunt ubicumque venerint, coniectum accipiant: coniectum, hoc est contributionem, symbolum, collectam. quò pertinet & illud Greg. Turon. lib. vi. c. xlv. de Childeberti R. filia, quæ in Hispaniam nuptura ducebatur: *Adparatus quoque magnus expensæ de diuersis ciuitatibus in itinere congregatus est: in quo nihil de fisco suo Rex dari præcepit, nisi omnia de pauperum coniecturis.* Vbi coniecturæ, quæ superioribus locis coniecta dicuntur.

FIDEIUSSORES TOLLERE.] id est cogere, vt subditi ecclesiæ & in ecclesiastica terra degentes, aut statim ad iudicis audientiam pergant & iudicatum faciant, aut si velint dimitti fideiussores seu vades iudicio sistendi causa præstent. In summa hoc agitur ne iudex, aut minister regius in terris quibus immunitas concessa est ius dicat, & iustitiam exerceat. Greg. Turon. lib. iv. c. xliii. *Albinus de sede exiliens, adprehensum archidiaconum coarctat. Pro quo nunquam obtinere potuerunt, nec episcopus, nec ciues, nec ullus maior natu, nec ipsa vox totius populi acclamantis, vt datis fideiussoribus diem sanctum archidiacono liceat cum reliquis celebrare, atque accusatio eius in posterum deberet audiri, &c.* Idem lib. viii. c. xii. *episcopum vallat, fideiussores requirit, & ad præsentiam Regis Guntibranni direxit.* & lib. viii. c. vii. & c. xliii. lib. ix. c. viii. Capitul. Caroli M. lib. iii. c. xxxiv. *De his qui legem seruare contempserint, vt per fideiussores ad præsentiam Regis deducantur.* lib. v. c. cxlvii. & passim. Marculfus infra lib. i. ca. xxvii. & xxviii. Hincmarus ep. ad Sigloardum apud Flodoard. lib. iii. ca. xxviii. *Multa diplo-*

mata habent *fideiussores* *requirere*.

MANVS NOSTRÆ SVBSCRIPTIONIBVS ] Cæsares olim propria manu libellos, rescripta, edicta subnotasse testatur historia Augustæ scriptores Lampridius in Alexandro, Vopiscus in Carino, & alij sæpè. Et in Valentin. Nouell. Magnus Cuiacius obseruat hæc verba *Diuina manu*, huncque morem apud Constantinopolitanos Imperatores durasse notat ad lib. x. Cod. Vnde & Regibus nostris adhuc hodie propriæ manus adnotatio in vsu est. Tunc autem subscriptionis nomine de qua heic Marculfus agit, signum illud & character continebatur, totius nominis litteras implexas referens, qualia in vetustis Regiis & Imperatoriis diplomatibus videre est: quod & doctissimus Freherus existimauit. Alibi dicitur *manu nostra firmamus*. Vnde & in Capitul. Benedicti Leuitæ lib. vi. c. ccxvii. *manu firmationes* dicuntur.

CAP. IV CONFIRMATIO DE EMVNITATE. ]  
quæ à Regibus successoribus solita peti, solita & indulgeri: infra c. xvi. & xvii.

PER SVAM AVCTORITATEM. ] Auctoritatis nomine heic & superiori capite intelligitur diploma, pragmaticum, seu vt sæculi etiam verbis utar, præceptum regium, ea forma descriptum qua maiorem auctoritatem habiturum erat, & vt puto, manu propria Regis subscriptum, & anulo seu sigillo principis munitum, qua in re ab indiculo differt, vt mox adnotabimus. Gregor. Turon. lib. ix. c. xxx. *Sed proinus epistolam, cum auctoritate miserunt, ne populus Turonicus proreuerentia S. Martini describeretur.* & cap. xlii. In Radegondis epist. *per auctoritates*

præcellentissimorum dominorum regum Chariberti,  
Guntchramni, Chilperici & Sygiberti, cum sacramentis  
interpositione & suarum manuum subscriptionibus ob-  
tinui confirmari. Capitulum lib. I. CLXXXVIII. ubi de  
constitutione quadam Ludouici pij de ordina-  
tione seruorum agitur, in ambone ipsa auctoritas  
coram populo legatur, & coram sacerdotibus, vel co-  
ram fidelibus laicis ante cornu altaris, sicut in no-  
stra auctoritate continetur, &c. Synodi Parisien-  
sis an. DCCCXLVI. quæ vulgo Meldensis dicitur,  
cap. LXXI. Vt auctoritatem sigillo Regio roborata,  
more tractoria Christianissimus princeps donet  
singulis episcopis, &c. Præceptum Dagoberti de  
fugitiuis. Vt autem hæc nostra auctoritas plenior  
& firmiter in Dei nomine obtineat vigorem, manu  
propria nos & sancta synodus nostra eam subter de-  
creuimus roborari. DATA SVB DIE VII KL.  
IVN. ANNO V. REGNI CLIPACO.

PRÆCEPTVM DE EPISCOPATV. ] CAP. V.  
Formula est, vt & lemma ostendit, qua Rex,  
cum primum de obitu alicuius episcopi cer-  
tior factus est, ad episcopum metropolitanum  
seribit, & præcipit vt virum illum à se proba-  
tum & electum, in episcopum ordinet & be-  
nedicat. Id quoque præceptum de episcopatu, dicit  
Gregor. Tur. lib. VI. c. VII. de V cecensi ecclesia:  
Iouinus iterum qui quondam prouincie rector fuerat  
REGIVM de episcopatu PRÆCEPTVM accipit,  
& lib. VII. c. XXXI. præceptionem vocat: Nuper in  
Aquensi vrbe episcopus obierat. Et Nicetius Comes loci  
illius, germanus Ructici, vici Iulienfis episcopi PRÆ-  
CEPTIONEM ab Chilperico elucuerat, vt tonsu-  
ratus civitati illi sacerdos daretur. Quod tum re-  
ceptum fuisse hæc formula docet, idemque

Gregor. Turon. multis locis testatur, lib. III. c. II. Cum hac Theoderico nuntiata essent, iussit inibi sanctum Quintianum episcopum constitui, & omnem ei potestatem tradi ecclesie. Et statim directi nuntii conuocatis pontificibus & populo eum in cathedram Aruernæ ecclesie locauerunt: lib. IV. c. XVIII. Cam Pictius episcopus ab hac luce migrasset, apud Parisios ciuitatē, Pascentius ei succedit ex iussu Regis Chariberti: alibi Rege ordinante, & Rege eligente, vt li. VI. c. XV. & lib. VIII. c. XXXIX. Idem refert sanctissimam vocem illam Guntchranni R. lib. VI. c. XXXIX. vbi de Bituricensi episcopatu. Post hac Sulpius in ipsa vrbe ad sacerdotiū Guntchranno Rege fauente preeligitur. Nam cum multi munera offerrent, hac Rex episcopatum quærentibus respondisse fertur, Non est principatus nostri cōsuetudo sacerdotiū venundare sub precio, sed nec vestrum eum præmiis comparare: ne & nos turpis lucri infamia notemur, & vos mago Simoni comparemini. Id ipsum notat lex Baiuuar. tit. I. ca. X. Si quis episcopum quem constituit Rex, vel populus sibi elegit pontificem occiderit, saluat eum Regi vel plebi aut parentib. secundum hoc edictum, &c. Synodus Aurelianensis V. sub Childeberto R. cap. X. Vt nullum episcopatum præmiis, aut comparatione licet adipisci, sed cum voluntate Regis iuxta electionem cleri & plebis, sicut in antiquis canonibus continetur, consensu cleri ac plebis à metropolitano, vel quem vice sua miserit à comprouincialibus pontificibus consecretur. Id à Regibus continuatum declarant cuiusque temporis historici. De Carolo Martello Flodoardus. l. II. c. XII. De Carolo M. Sangallensis lib. I. c. III. vbi Carolus his qui literis operam dabant, nunc, inquit, ad perfectum

attingere studete, & dabo vobis episcopia & monaste-  
 ria permagnifica, & c. iv. v. & vi. HLudouicus  
 R. ait Chronic. Besuense. Bictone episcopo defuncto  
 Albericum virum dignum episcopatu ecclesie Lin-  
 gonēsi restituit. & passim de aliis apud historicos.  
 Ex quibus apparet, vt & ex hac formula, non  
 obseruata fuisse Synodi Parisiensis decreta,  
 quæ Childeberti R. tempore, pontificante  
 Germano, habita est. cap. viii. Nullus ciuius in-  
 uitis ordinetur episcopus, nisi quem populi & clerico-  
 rum electio plenissima quaerit voluntate, non prin-  
 cipis imperio, neque per quamlibet conditionem contra  
 metropolis voluntatem, vel episcoporum prouincialium  
 ingeratur. Quod quodammodo repetitum extat  
 in Synodo rhemēsi sub Sonnatio episcopo ce-  
 lebrata apud Flodoard. li. ii. c. v. Nisi dicas sy-  
 nodi mentem fuisse electionem firmare, ius  
 Regis non infringere, sed metropolitani con-  
 sensum exquirendum esse: quod probari pos-  
 set ex Gregor. Turon. lib. iv. cap. xxvi. vbi de  
 Santonenſi conuentu agit. Vnde & postea ea-  
 dem moderatione Hincmar. ep. iii. c. ix. consensu  
 principis terra, electione cleri & plebis, & approbatione  
 episcoporum prouincie episcopū ordinari debere  
 scribit. Quò pertinet & eiusdem clariss. præsu-  
 lis epistola ad Hugonem Abatem apud Flo-  
 doard. l. iii. c. xxiv. ostendens quod non episcopi de  
 palatio, & c. Sanè hodie absque controuersia  
 Reges nostri nominandorum antistitum ius  
 retinent, ex pacto cum summis Pontificibus &  
 sede apostolica facto.

ASSIDVÆ PRÆDICATIONIS. ] Mu-  
 nus id episcopale. S. Augustinus Confession.

Ff iij

lib. vi. c. iiii. de B. Ambrosio. Et eum quidem in populo verbum veritatis rectè tractantem omni die dominico audiebam. Eius rei edictum Caroli M. memorat Sangallensis lib. i. c. xx. Præcepit religiosissimus Carolus Imperator, ut omnes Episcopi per latissimum regnum suum, aut ante præfixum diem, quem iste constituerat, in ecclesiastica sedis basilica prædicarent, aut quicumque non faceret, episcopatus honore careret: quibus festinam narrationem de quodam episcopo subiungit.

VNA CVM PONTIFICIBVS VEL PROGERIBVS NOSTRIS PLENIVS TRACTANTES.] Videlicet ut magis ritè & secundum canones electus videretur, non Regis tantum imperio constitutus. infra c. seq. De cuius successore sollicitudine integra cum pontificibus, vel primatibus populi nostri pertractantes. Gregor Turon. lib. vi. ca. vii. de Cautino Aruernensi episcopo. Carlomannus Dux & Princeps Francorum in Synodo habita anno dcccii. apud Benedictum Leuitam lib. v. c. ii. Et per consilium sacerdotum & optimatum meorum, ordinavimus per civitates episcopos, & constituimus super eos archiepiscopum Bonifacium, qui est missus sancti Petri.

ACTIO PROBATA.] i. officium. Vide infra ad cap. xi.

NOBILITATIS ORDO SVBLIMAT.] Tunc enim non alij quàm nobiles episcopi fiebant quod passim apud Sidonium & Gregorium Turonensem observare licet. Quin & in Abatibus idem quodammodo exigebatur. Ludovicus Pius de S. Martini cœnobio, Post illius (Eridegisi) autem decessum fratres habeant facultate

tem eligendi de ipsis Abatem, quem optimum & nobilitate generis, & probitate morum, & in scripturis eruditum, &c.

BENEDICI.] hoc est consecrari: utroque enim vocabulo utebatur. Gregor. Tur. lib. VIII. c. XX. ea conditione remouetur, ut eum Bertchranus, Orestesque seu Palladius qui eum benedixerant, vicibus pascere. lib. IV. cap. VI. Veni, consenti nobis, & benedicientes consecremus te ad episcopatum. Quamquam postea receptum sit ut consecrari dicantur episcopi, Abates benedici, cap. I. De suplend. negligent. prælat. cap. Cum contingat. De ætate & qualitat. ordinand. Heic autem apparet Regem ad metropolitanum episcopum scribere, cuius officij illud erat, ut confirmaret suffraganeos, & cum aliis prouinciæ episcopis consecraret. Ideoque additur cum adunatorum caterua pontificum & cap. seq. iunctis vobis cum vestris comprovincialibus, ipsum in supra scripta vrbe consecrare. Synodi Nicænæ can. IV. τὸ δὲ κύριος τῶν γυναικῶν δὲ ἡδὲ καὶ ἐκάστην ἐπαρχίαν τῷ μητροπολίτῃ. Synodi Antioch. c. XIX. Ἐπίσκοπον μὴ χειροτονεῖσθαι διὰ συνόδου ἢ παρουσίας τῆς ἐν τῇ μητροπόλει τῆς ἐπαρχίας. Martinus Bracarenfis in collect. can. c. III. & IV. Hincmarus aduersus Hincmarum Laudunensem, qui nondum typis editus, sed ex bibliotheca illustrissimi præsidis Iac. Augusti Thuani, à docto & pio viro breui lucem expectat. Sic igitur ille cap. VI. in quo præclare metropolitanus episcopi iura summatim recenset: Si in Rhemensis prouincia præter meam sententiam quis fuerit à quibuscumque & quantiscumque prouinciæ huius episcopis factus episcopus, sicut mystica

Nicana Synodus diffiniuit, non oportet eum esse episcopum. Si autem communi ceterorum decreto episcoporum rationabili, & secundum regulam ecclesiasticam comprobato, tu aut alij duo tui complices tecum propter contentiones proprias contradixeritis, mea cum pluribus ad ordinandum episcopum obtinebit sententia, & mihi non tibi firmitas eorum quæ geruntur de ordinationibus, vel alijs rebus ecclesiasticis in Rhemensi provincia tribuetur: in qua si fuerit defunctus episcopus, ego & non tu visitatorem ipsi viduata designabo ecclesia, & electionem cum decreto canonico præcipiam fieri. Et si in partes se eligentium vota diuiserint, meum, & non tuum erit eligere, qui maioribus ad ordinandum studiis iuuetur & meritis: & meum est ordinandum examinare, non tuum: tuum est autem cum alijs mecum ordinare episcopum, & litteris canonicis, quas ordinatus ab ordinatoribus suis iubetur accipere, post me in tuo loco subscribere.

CAP. VI INDICVLVS REGIS AD EPISCOPVM  
VT ALIVM BENEDICAT.] Caput hoc eiusdem cum superiore argumenti esse titulus testatur. Verum hanc inesse puto differentiam, quod superius præceptum inscribatur, maioris scilicet auctoritatis diploma, manu propria principis subscriptum, & annulo fortè munitum, vt supra de auctoritate diximus. Istud vero indiculus dicitur, quem, vt existimo, rectè epistolam absque sigillo dixeris. Id colligo ex Capitul. lib. III. c. LVIII. Et si sacramentales homines cum ipso venire renuerint, iussione dominica, aut indiculo, aut sigillo ad palatium venire cogantur: Ergo indiculus & sigillum discreta sunt, & indiculus absque sigillo est. Indiculi vero nomine

nil frequentius æuo illo.

ILLI EPISCOPO. ] Metropolis antistitem archiepiscopum dixisset si sæculi tulisset vsus. Per ea namque tempora, archiepiscoporum appellatio vixdum in occidente vsurpari cœperat: solumque patriarchæ ita designabantur, quod postea metropolitanis communicatum hodie retinemus.

CONCESSIO CIVIVM PRO EPISCO- CAP. PATV. ] Ita Ms. titulum concipit, magis ta- VII. men placet CONSENSVS CIVIVM, in quo capitulorum index, & extrema capitis verba consentiunt. Nisi *consensionem* quis malit. Igitur hac formula plebs pastore destituta, Regem ea de re certiolem facit, & suppliciter postulat, vt virum aliquem in episcopum illis concedat. Id solitum fieri ex Gregor. Turon. apparet, lib. iv. c. xxvi. vbi de Santonenfi conuentu: *Quo eiecto consensum fecerunt in Heraclium tunc Burdegalensis vrbis presbyterum, quem Regi Hariberto subscriptum propriis manibus per nuncupatum presbyterum transmiserunt, qui veniens Turonos rem gestam beato Eufronio pandit, deprecans vt hunc consensum subscribere dignaretur. Et postea, consensum ad te direxerunt, vt alius in loco eius substituatur. lib. viii. c. xxii. cum muneribus & consensu ciuivm ad Regem properat, sed nihil obtinuit. Idem de B. Gregorij PP. electione initio lib. x. comprehenso disruptis epistolis consensu, quem populus fecerat, Imperatori direxit. Quò pertinet & Synod. Aurelianensis v. can. xi. Nullus inuitis detur episcopus, sed nec per oppressionem potentium personarum ad consensum faciendum ciues aut clerici inclinentur.*

SENIORI COMMUNI ILLIVS.] Nul-  
lus vt apparet sensus. Itaque minima vel nulla  
mutatione legendum *illi Regi vel seniori, commu-  
ne illius* ciuitatis nempe, τὸ κοινόν. Populus enim  
conueniens de electione tractabat, & consensu  
in aliquem facto, eius relationem scriptam &  
subscriptam ad Regem dirigebat: vt hæc for-  
mula testatur, & Gregorius Turon. Seniores  
vero pro domino vsurpari, iam attigimus, &  
notius est quam vt probatione egeat.

CAP. VIII. CHARTA DE DVCATV, PATRIATV  
AVT COMITATV.] Litteræ sunt prin-  
cipis, quibus prouinciæ vel ciuitati rectores  
destinat, qui, aut Patritij, aut Duces, aut Comi-  
tes vocantur. Hanc formulam iam edidit eru-  
ditissimus vir P. Pithæus, flos litteratorum, lit-  
terarumque verè parens, in opere quod de  
Campaniæ patriæ suæ comitibus edidit. Nos  
ex archetypo iterum repræsentamus.

ACTIONEM COMITATVS, DVCA-  
TVS, PATRIATVS.] Actionem, i. of-  
ficium: inde agentes, infra cap. xi. *omnibus  
agentibus*, i. officialibus, ministris, vbinos plu-  
ra. De Comitatu vero & Ducatu pauca heic at-  
tingere ad Marculfi illustrationem non pi-  
get. Et quidem de comitatu illud primum  
occurrit, videri nihil omnino commune ha-  
bere cum Germanis illis comitibus de qui-  
bus agit Tacitus, vt quidam scripsere. Comi-  
tes enim ille dixit, Latini sermonis proprietate,  
eos qui officij causa maiores comitantur.  
Itaque hic magistratus à Francis vsurpatus  
merè origine Romanus est, non illius quidem

veteris reipublicæ, nec initio florentis imperij, sed posteriorum temporum: quibus Comitum nomen variis magistratibus tributum fuit, atque adeo civitatum rectoribus. Ut remota omittam, Comites Massiliæ apud Sidonium legimus lib. vii. epist. ii. & Comitum Syracusanæ & Neapolitanæ formulas, lib. vi. Variarum Cassiodorus scripsit, quarum si munia cum nostris conferas, eadem prorsus apparebunt. Ille enim *iudices* eos vocat cap. xxii. xxiii. & xxiv. & civilia negotia examinare dicit, itidemque eos *exercitum habere*, & provinciam custodire. Ideoque in formula Comitum provinciarum lib. vii. *Quamvis omnium (inquit) dignitatum officia à manu secundantur armata, & civilibus vestibus videantur induti, qui distinctionem publicam docentur operari: tua tamen dignitas à terroribus ornatur quæ gladio bellico, rebus etiam pacatis accingitur.* Per singulas provincias, Comites à Theoderico Italiae R. mitti solitos eodem libro docet, qui inter Gotthos, aut Gotthum & Romanum ius dicerent, & iudices etiam vocat: Ut rectè definierit Suidas Comitum verbum, dum populi magistratum vocat. *Κόμης, ὁ καὶ ἀρχων.* nec aliter sanè Hesychius. Quæ omnia Comitum etiam apud Francos veteres munus describant. Singulis enim tum civitatibus Comites præerant, quorum potestas iisdem quibus episcopi finibus distincta erat. Gregor. Turonens. lib. vi. cap. xxii. *Rex igitur persuasis Chilpericus civitatibus fratris sui, novos Comites ordinat, & cuncta*

*habet sibi urbium tributa deferri. cap. xli. Misitque ad duces & comites ciuitatum nuntios, ut muros componerent urbium. Idem sæpe eos iudices, nõ Comites, vocat: sed lib. vii. cap. xlii. seipsum interpretatur: Post hæc edictum à iudicibus datum est, ut qui in hac expeditione tardi fuerant damnarentur. Bitorigum quoque Comes misit pueros suos, ut in domo Beati Martini, &c. lib. viii. cap. xviii. Gundobaldus comitatum Meldensem super Guerpinum (inuasi) ingressusque urbem, causarum actionem agere coepit. Exinde dum pagum urbis in hoc officio circumiret, in quadam villa à Guerpino interficitur. Sic enim locum mutilum, vno verbo restituo. Idem de Gloria Confessor. cap. x. & de Vita patrum in S. Nectio, & passim. Synodi Cabilonensis II. sub Carolo M. c. xx. Comites, qui post Imperialis apicis dignitatem populum Dei regunt. Hincmarus, epistola pro episcopis Galliarum & Germaniarum Christianissimo principi, quæ prima inter Busæi Paralipomena excusa est, cap. iiii. Huius gloriose domus Dei decorem & locum habitationis glorie eius fidelissimè diligere & zelari debent, non solum Episcopi & sacerdotes in sedibus, sed etiam Reges in regnis & palatiis suis, & Regum Comites in ciuitatibus suis, & Comitum Vicarij in plebibus, & quicumque patrum familias in domibus suis. Horum officium & munus in pace & iustitia facienda præclarè traditur in Capitul. lib. ii. c. vi. & lib. iv. c. v. Qui tandem extremo dominationis Carolinæ stirpis, ex ministris Domini facti latè dominati sunt, donec pristinae dignitati sensim regnum restitutum. Nec vero omittendum est Comitum officium sub prima Regum nostrorum familia non ad*

vitam fuisse, vt quidam scripserunt. Ad certum namque tempus eos tum constitutos mihi cōstat, ex multis Gregorij locis, quorum insignis est lib. iv. cap. xxxvi. vnde apud eum frequenter hæc verba leguntur, *ex præfecto, ex comite, ex duce, ex vicario*, & ille remotorum exempla recenset. Quod item à Romanis desumptum dubitari non potest, qui magistratus omnes ad certum tempus designatos habuere. Ideoque in Cassiodori Formulis lib. vi. & vii. omnibus ferè adscribitur, *per indictionem illam*. Duces autem Romani rei bellicæ & exercitibus regendis tantum præpositi erant, inde Duces Limitum in Notitia Imperij, & Ducis Rhetiarum Formula apud Cassiodor. lib. vii. Apud Francos vero præerant quidem exercitui: verum & ius quemadmodum Comites dixisse, hæc formula ostendit, & ex Gregorio Turonensi planum est. Comitibus honore & potestate superiores fuisse constat, pluresque Comitatus & Comites, eorum curæ committebantur. Gregor. Turon. lib. viii. c. xviii. *Nicetius per emissionem Eulaly à comitatu Aruernò submotus, ducatum à Rege expetuit, datis pro eo immensis muneribus. Et sic in vrbe Aruerna Rubena atque Vercica dux ordinatus est.* cap. xxvi. *Turonicis atque Pictavis Ennodius Dux datus est.* Ex quibus liquet duodecim Comites sub cura Ducis necessariò non fuisse, vt quidam aiunt. Sanè in Annalibus Pipini, quæ Aimoino subiunctæ sunt, lib. iv. c. lxi. ita scriptum legitur: *Pipinus domum reuersus Grifonem more Ducum duodecim comitatibus donauit.* Quod si verum est, Pipini tantum æuo id obseruatum

dici debet : superiora namque Gregorij exempla aliud notant Scitè Vualafidus Strabo, peruetustus auctor, qui dominante secunda Regum nostrorum familia claruit, in libro quem ille De rebus ecclesiasticis scripsit, cap. xxxi. vbi sæculi & ecclesiæ dignitates comparat, Comites Episcopis, Duces Metropolitanis assimilat, *Archiepiscopus, qui ipsis metropolitanis præminent, Regibus conferamus. Metropolitanos autem Ducibus comparemus, quia sicut Duces singularum sunt prouinciarum, ita & illi in singulis prouinciis singuli ponuntur. Vnde in Calchedonensi concilio iubetur, Ne vna prouincia in duos metropolitanos diuidatur. Quod Comites vel præfetti in sæculo, hoc Episcopi ceteri in ecclesiis explent. Sic ille. De Patriciis vero c. xxxv. dicitur.*

VIDVIS ET PUPILLIS MAXIMVS DEFENSOR.] Ita etiam Ludouicus Pius Comites admonet Capitul. lib. ii. c. vi. *Pupillorum & viduarum & cæcerorum pauperum adiutores & defensores sitis. Sed præstat caput longius exscribere, huic enim formulæ planè genuinum est, & omnino ad illustrationem & explicationem non huius tantum loci, sed & superiorum, & sequētium clausularum confert. Proinde monemus vestram fidelitatē, vt memores sitis fides nobis promissa, & in parte ministerij nostri vobis commissi, in pace scilicet & iustitia facienda, vosmetipsos coram Deo & coram hominibus tales exhibeatis, vt & nostri veri adiutores, & populi conseruatores iustè dici & vocari possitis: & nulla qualibet causa, aut munerum acceptio, aut amicitia cuiuslibet, vel odium aut timor, vel gratia ab statu rectitudinis vos deuiare compellat, quin inter*

proximum & proximum semper iuste iudicetis. Pupillorum vero & viduarum & ceterorum pauperum adiutores & defensores, & sancta ecclesia vel seruatorum illius honoratores, iuxta vestram possibilitatem sitis. Illos quoque qui temeritate & violentia in furtis & latrocinis, siue rapinis communem pacem populi perturbare moliantur, vestro studio & correctione, sicut decet compescite, &c. Synodus Ticinensis sub Ludouico Italiae R. *Vt singuli Comites* (ita lego, non conuentus, vt vitiose editum est) & exactores Reip. in suis ministerijs legalem procurent facere iustitiam, pupillos & viduas protegant, per loca solita restaurent palatia, quibus cum iter dictauerit nos legatosque nostros valeant recipere. Optimè viduarum & pupillorum causa commendatur magistratibus, quos contra improbus ille certissimam esse praetoribus praedam dicebat. Praeclarum etiam illud vt viduarum, pupillorum, pauperum causa ante meridiem audiantur & definiantur, & causa regiae & potentum post meridiem, Capitul. lib. II. cap. xxxiii. & lib. IV. cap. xvi.

IN FISCO DITIONIBVS SPERATUR ]  
Comites tributa etiam curasse, & arario intulisse vel hic locus euincit. Illud quoque confirmat Gregor. Turon. lib. VI. c. xxii. & lib. VII. c. xxiii. & Cassiodor. lib. VI. c. xxi. rectori prouinciae id muneris adscribit. Exemplar vc. Pithœi *fisci dicationibus* habuit, cuius loco rectius in *Reg. ditionibus* scriptum est.

INDICVLVS AD ALIVM REGEM. ] CAP. IX  
epistola est à Rege ad alium Regem scripta, legatis etiam missis.

FRATRI ILLI REGI.] Vt hodie, ita tum quoque mutuo se Reges fratres dicebant. Alaricus R. ad Chlodoueam R. apud Gregor. Turon. lib. II. c. xxxv. *si frater meus velit.* Chosroes Persarum R. in epist. ad Iustinianum, in Menandri Protectoris Excerptis De legationibus *Χοσροῦς βασιλεὺς βασιλέων, &c. Ἰουστινιανῶ Καίσαρι ἀδελφῶ ἡμετέρῳ,* & alibi apud eundem *ἀδελφότης.* Possset tamen dici hoc capite Regem fratrem vocari, quod eo sæculo vixerit auctor, quo regnum inter fratres diuisum erat: sed superior interpretatio verior est.

## CAP. XI

TRACTORIA LEGATORVM.] Tractoriarum vsum à Romanis mutuatum esse hæc formula indicat. Sunt autem diplomata, quæ dantur missis vel euocatis à Principe, vt cursu publico vti possint, quem alioqui absque diplomate vsurpari fas non erat: adscriptis etiam locis & mansionibus, quibus sumptu publico ali debent. Commeatus enim in itinere præstandus definiri his litteris solebat, vt hæc quoque formula exemplo est. diplomata simul vocari insignis locus Plutarchi in Galba ostendit, *καὶ τὰ κλειόμενα διπλώματα σεσημασμένα δόντων ἀγγελοῦντες οἱ καὶ πόλιν ἀρχόντες ἐν ταῖς πῶν ὁχημάτων ἀμοιβαῖς, ἐπιταχύνουσι τὰς πομπὰς τῶν γραμματοφόρων.* & ille postmodum Imperator, qui quod sine diplomatibus cursum vsurpasset, pedibus iter facere coactus est. *De tractorius & statoris* titulus extat Cod. Th. & Cod. Iustinian. lib. XII. vbi plura Magnus Cuiacius, qui hanc Marculli formulam integram inserit, quam tamen puriorem auctore exhibere conatus est, nos fide auctoris

auctoris edidimus. Tractorias igitur à Francis frequentatas Marculfus docet, posteaque Caroli æuo durasse ex Capitul. patet. lib. iv. c. xxx. *Si qui litteras nostras despexerit, id est tractoriam, qua propter missos recipiendos dirigitur, &c.* Quid vero unicuique in itinere commeatus præstari deberet, Tractoria signabatur. Capitul. lib. iv. c. LXIX. *missi accipiant secundum quod in sua tractoria continetur.* Idque variè pro dignitate & qualitate ( vt capitula dicunt ) personarum, vt ecce plus episcopo, quem Rex mittebat, Abati & Comiti non tantum, minus autem Vasallo decernebatur, quemadmodum Capitul. comprehensum est. lib. iv. c. LXXII. *episcopo panes xl. frisinga tres, de potu modij tres, &c.* quæ huius formulæ speciem referunt. Verum Marculfi & Caroli M. temporibus non eò pertinuisse tractorias arbitror, vt cursus publici vsum concederent, qui nullus tum erat, sed vt equi, mansiones, sumptus & viatica missis à principe directis, aut ab eo euocatis à subditis & prouincialibus suppeditarentur, qui mansionaticorum & paratarum oneri tenebantur, qua de re supra cap. III. Paratas enim pro speciebus, quæ in hac tractoria recensentur accipio. De Paratis capitula Caroli & Ludouici apud Carisiacum, *constituite Comites & ministros Reip. qui non diligant munera, &c. qui illorum frisingas non prædentur. Custodiant sylvas, vnde habeant pastionem, defendant & excolant prata, vnde habeant pabula: quatenus non sit necesse vobis per quascumque occasiones, quorumcumque hortatibus, circuire loca Episcoporum, Abatum, Abatissarum, vel Comitum, & maiores*

quàm ratio postulat paratas exquirere, & pauperes ecclesiasticos, & fidelium vestrorum mansuarios, in curvaturis & paraueredis exigendis grauari. Tractorias olim apud Romanos non tantum imperator dabat, sed & præfectus prætorio & magister officiorum: leg. ix De cursu publico, lib. xii. Cod. hæc vero formula nomine Regis inscripta probat non ab aliis quàm à Rege Francorum concedi solitas. Itaque petierunt Galliæ Episcopi à Carolo Caluo R. vt id illis tribueretur. Synodi Meldensis c. LXXI. *Et auctoritatem sigillo Regio roboratam, more tractoriæ Christianissimus princeps singulis donet episcopis.* Sane hoc ius singulari beneficio quibusdam concessum fuisse non negauerim. Nam & in tabulario Corbeixæ monasterij in Ambianis sunt Theoderici R. litteræ, quibus ille Abati Corbeixæ & successoribus indulget, vt tractoria vti possit, cuius species quæ præstari deberent, vt in hac formula recensentur. Attamen inter Formulas incerti auctoris vna extat, quæ *Tracturia pro itinere peragendo* inscribitur, & ab Episcopo cuidam qui Romam orationis causa petit traditur: & inter Varias cap. xv. alia est peregrinationis item causa à Maiore domus concessa. Et ambæ quidem precibus conceptæ sunt, vt religionis causa peregrino mansionem, focum, panem & aquam tantum largiri velint illi per quos iter facturus est, dominumque eis retributurum. Vna vero etsi eodem ferè stylo, à Maiore domus, qui tum Regis vices agebat scripta est, precibus tamen agit, quia extra ditionem: Ita tractoriæ vocabulum latius exten-

sum est. Si quidem Carolus M. in præcepto S. Dionysij de mercato, quo telonea & omnigenis tributa ad mercatum venientibus remittit, illud ipsum tractoriam vocat, *per hanc nostram tractoriam*: Itidemque HLudouici Pij de ipsa re diploma *Tractoria* dicitur.

OMNIBVS AGENTIBVS.] Cuiacius adiecit *in illo loco*, quasi dicas, omnibus qui ibi degunt & habitationem habent. non satis conuenienter, & præter auctoris mentem. Nec est etiam quod ad Agentes in rebus quis referat, quorum in Romano imperio erant scholæ sub Magistri officiorum dispositione, qui variis officiiis & ministeriis destinabantur, & in frumentariorum locum successisse Aurel. Victor testatur: de quibus titulus est lib. XII. Cod. & ab Ammiano marcellino & BB. Ambrosio & Augustino sæpius memorantur, quod planè alienum est ab Agentibus ad quos hæc formula. Itaque eius vocabuli interpretatio ex eodem sæculo, non aliunde petenda est. Vnicum è S. Dionysij scriniis diploma id præstabit. Præceptum Dagoberti R. de fugitiuis: *Dagobertus Rex Francorum vir illuster, Omnibus Episcopis, Abatibus, Comitibus, Centenariis, Vicariis & cæteris Agentibus nostris. Idem de mercato Dagobertus Rex Francorum vir inluster, Leutone, Vulsione, Raucone Comitibus, & omnib. Agentibus nostris, Vicariis, Centenariis, & cæteris ministris Reip. nostræ. Vbi palam est agentes non aliud quàm ministros & officiales regios designare. Actionis quippe nomine officium significabatur. Marculfus supra cap. VIII. Ideo actionem Comitatus, Ducatus, Patriciatus in pago*

illo, quam antecessor tuus videtur egisse tibi ad agendum regendumq. commissimus. Sic Synodi Aurel. iv. c. xiii. publicis actionibus applicare. Synodi Rhemensis, sub Sonnatio Episcopo apud Flodoard. lib. ii. c. v. incesti communionem priuentur, & neque in palatio militiam, neque agendarum causarum licentiam habeant. i. non ut postulare non possint, sed ne officij exercendi facultatem habeat. Nam & Gregor. Turon. lib. viii. c. xviii. comitem causarum actionem agere dixit. Eodem pertinet & Gregorij Tur. insignis locus lib. iv. c. xlii. de Mumolo, cuius pater Autifiodorensem Comitatum regebat. Cumque, inquit, ad renouandam actionem, munera Regi per filium transmisi, &c. qui locus etiam ostendit quod supra diximus, Comitatus ad certum tempus tunc datos, muneribusque continuationem impetratam. Actor autem dominicus, de quo apud Gregor. Tur. lib. ix. c. xxxviii. & in Capitul. lib. iv. cap. iii. & xli. aliud est, nam pro Rationali, & procuratore fundi alicuius regij accipitur.

EVECTIO.] Gregor. Turon. lib. ix. cap. ix. datis litteris, & pueris destinatis cum euectione publica. Plura apud Cuiacium ad leg. iii. De cursu publico. lib. xii. Cod.

VEREDOS SEV PARAVEREDOS.] Procopius de bello Persico lib. ii. οὗ δὲ ἰσπποῖς δὲ μοσίοις ὀχέμενος, ἢ δὲ ἐν κερπέδω καλεῖν νομοῦνται. Multa Cuiacius ad tit. de cursu publico. & FR. Pithæus in Capitul. Glossar. ad quos lectorem remitto. Enumerationis vero quæ sequitur non dissimilia sunt principalia rescripta de annonis singulis diebus certis personis præstandis, apud

Trebellium Pollionem & Vopiscum.

AUCAS ] Anseres habet Cuiacius, & recta est interpretatio, sed *aucas* sæculi vocabulo scriptū fuisse fides Ms. testatur. Leg. Alaman. tit. xcviii. 18. *si auca fuerit inuolata*. 19. *si accipiter qui aucam mordet*. In Traditione bonorum in villa Hostheim anno dcccclxxvi Traditionum Fuldensium lib. ii. *Oves xl. Auca xviii. puluilli ii. capones ii.* quod nomen etiam hodie Aquitani retinent.

FACVLAS TANTAS ] ligni scilicet, in epistola Valeriani ad procuratorem Syriæ apud Trebellium Pollionem, *ligni quotidiani pondo mille*, nam & in quibusdam locis ubi rarius est appenditur, vt ibidem eruditissimus Casaubonus obseruauit.

PRÆCEPTVM DONATIONIS. ] inter CAP.  
xii. virum & vxorem, vt series ostendit, liberis non extantibus, vsufructus nomine, ei qui superstes fuerit. Eodem pertinet cap. vii. lib. ii. cuius si non eadem omnino verba, eadē prorsus mens: verum differentia in eo est, quod hæc ante Regem facta sit, ideoque præceptum dicitur, & inter Regales chartas traditur: altera vero, non antè Regem, sed inter chartas pagenses lib. ii. refertur. quæ donationis inter virum & vxorem mutuæ species apud nos: obseruatur, eademque planè ei leges constituit Parisiorum consuetudo. c. cclxxx.

PRO EO QVOD FILIORVM PRO-  
CREATIONEM INTER SE HABERE  
MINIME VIDENTVR. ] Hoc casu dona-  
tionem ita conceptam permittit lex Ribuario-

rum. Tit. I. & LI. Si quis procreationem filiorum vel filiarum non habuerit, omnem facultatem suam in presentia Regis sine vir mulieri, vel mulier viro, seu cuiusque libet de proximis vel extraneis, adoptare in hereditatem, vel in adfati per scripturarum seriem, seu per traditionem & testibus adhibitis secundum legem Ribuariam licentiam habeat. Tit. LI. Quod si adfatiuus (i. donatio) fuerit inter virum & mulierem, post discessum amborum ad legitimos heredes reuertatur, nisi tantum qui parem suum superuixerit, in elemosina, vel in sua necessitate expenderit. Id ex Testamento mutuo inter virum & uxorem, Valentiani Nouella approbato, petitum esse dici potest.

PER MANVM NOSTRAM VISI SVNT CONDONASSE ] Sic cap. proximo, per manum nostram transuulsum. & paulo post, nobis voluntario ordine visus est laeso vuerpisse vel condonasse, & nos predicto viro illi ex nostro munere largitatis, sicut ipsius illius decreuit voluntas, concessimus. Leg. Ribuar. tit. I. in presentia Regis. Ideoque & hæc donatio præceptum donationis inscribitur, quod ante Regem peracta sit. Possessionis enim solenniter transferendæ duo tū modi, aut in iudicio ante Comitem & iudices suos, quos Scabinos dicebant, aut in Regis præsentia in palatio. quæ causa fuit Marculfo in duos libros opus suum partiendi, vt singillatim horum negotiorum formulas traderet. Capitul. Benedicti Leuitæ. lib. VI. c. CCVII. Qui filios non habuerit, & alium quemlibet heredem sibi facere voluerit, coram Rege, vel coram Comite & Scabinis vel missis dominicis, qui ab eo ad iustitias faciendas in provincia

fuerint ordinati, traditionem faciat. Testamentum vero viri & vxoris Nouella iv. lib. ii. Valentiniani approbatum, in præsentia principis fiebat, saltem venia impetrata, & relatione facta. Nam cum liceat (inquiunt impp.) cunctis iure civili atque prætorio, liceat per nuncupationem, liceat municipalibus gestis iudicia suprema componere, proculdubio manebit firmiter hæc voluntas quæ testimonio Principis & subscriptione conditoris firmatur, cui congruit l. Omnium. C. de Testament. Vnde hæc donationis formam fluxisse probabile est.

AVT MVNERE REGIO, AVT DE ALODE PARENTVM, VEL VNDE CVM QVE ] Eandem heic tangit bonorum diuisionem quam supra cap. iii. notauimus, Beneficium namque, Alode, & comparatum his verbis significantur *Munere Regio. i.* per beneficium Regis, quod postea Feudum dictum est: licet non ignorem à Regibus tunc quoque in proprietatem prædia data, vt infra cap. xvii. Alodi vero rectè parentum nomen subiungitur. Propriè enim Alode illud est quod à parentibus acceptum possidetur. Sic lib. ii. cap. iv. vi. & ix. Itaque comparato opponitur lib. ii. cap. vii. tam de alode, aut de comparato, vel de quolibet adtractu. cap. xii. tam de alode paterna quàm de comparato. Incerti auctor. formul. xlvii. tam quod alode parentum, quam ex meo contractu mihi obuenit, & c. xlix. Formul. Roman. c. xiv. & xxxviii. Ioannes VIII. PP. Ludouico R. epist. cxxxix. de Bosonis filiabus, vt eis bona paterna redderentur: *Et pro nostro amore integritè ipsas proprietates, quas vos alodes dicitis, reddat.* Sic quoque heredi-

tas passim pro alode dicitur, leg. Salic. tit. LXII. leg. Ribuarior. tit. LVIII. nam quod in titulo *Alodes* dixerant, in dispositione *hereditatem* vocant. Marculf. lib. II. c. VII. tam de alode quam de comparato, eadem postea repetendo, tam de hereditate parentum quam de comparato. Vita Caroli M. apud Adhemarum, ibique multitudo Saxonum baptizata est, & secundum morem, omnem ingenuitatem illorum & alodem manibus gurgierunt si amplius immutassent, quæ eadem Reginoni, ut perderent ingenuitatem & hereditatem dicuntur. Traditionum Fuldens. lib. II. Abatissa Emhil donat propria hereditatis suæ terram in diuersis videlicet locis, tam de paterno quam & de materno iure ad me pertinentem. Alibi sæpe paternum aut maternum alode. Rhenanus & Vadianus arbitrantur Alodij vocem inde natam, quod ea bona familiis velut coagmentata & coniuncta essent, à Germanica voce *antodr*. Tentari posset ab alia Germanica voce originem ducere, *Ald* quæ vetus antiquumque declarat, auctore Auentino in Glossario. quæ notatio ad hereditatis nomen, & paternam terram proximè accedit. Tandem vero & comparatum alode dictum, & generaliter omnis proprietas hoc censita nomine, ut ad Capitula obseruat sæpe nominatus vir magnus FR. Pithæus. In Adnunciatione HLudouici R. Et illorum alodes de hereditate, & de conquestu, & quod de donatione nostri senioris habuerunt.

DRAPPIS.] Synodi Pistensis anni MCCCLXIII. cap. I. Et sicut quando solemus de istis frequentibus itineribus reuerti ad mansiones nostras de ronsi & decaluati, cum drappis & calceamentis depannatis, &

*in nos reficimus & reparamus* Variar. Formul. cap. VIII. & XIII. *aurum & argentum & drapalia.* Quod panni seu vestimenti genus, hodie nomen apud nos retinet, *drap.*

PRÆCEPTVM DE LÆSIVVERPO PER CAP. MANVM REGIS. ] Formula est traditionis, XIII. per quam possessio in palatio & in regis præsentia transfertur.

FIRMISSIMVM. ] Quod enim in præsentia Principis actum est omnes solennitates superat. Immo qui *testamentum Regis* (id est instrumentum) *absque contrario testamento falsum clamauerit, non aliunde nisi de vita componat.* Leg. Ribuar. tit. LXII. 7.

PER FISTVCAM. ] Tradita videlicet festuca in signum translatae possessionis. Multis quippe tum utebantur traditionum symbolis, per glebam, siue terram & herbam ut loquuntur Formulæ incerti auctoris cap. XIX. & XLIII. per virgam aut baculum, Vetus venditionis instrumentum apud Brissonium Form. lib. VI. *Tu pascuti fuste illum inuestito, tu segniti fustem manu capio,* & aliàs sæpe: per chirotecam, Robertus Comes & Abas S. Martini Anno VII. regni Odonis R. *reddimus Dociacum, admoniti, ad eius sepulchrum veniens per quantum nostrum:* per librum ut ad Goffridum Vindocinensem obseruat vir eximiae eruditionis Iac. Sirmondus, baculosque & chirothecas, & eiusmodi traditionum, symbola multa in tabulario S. Albini hodie quoque extare testatur: per anulum Comitis Vet. Form. *Genitor suus dimisit per fistucam & anulum ipsius Comitis, ipsi advocato tradidit in sua elec-*

*mosyna*: per cultellum cum cespite & festuca,  
 Tabularium S. Benigni Diuionēsis, Fulcardus  
 per *Vuadium* suum & cultellum suum cum festuca &  
 cespite, coram presentia bonorum hominum, qui ibidem  
 aderant se exutum fecit, & secundum legem suam  
 missis beati Benigni publicè tradidit, Aldegario videlicet  
 monacho & preposito eiusdem monasterij, & God-  
 defrido nomine tenus monacho, res quas per precium  
 Berthiloni corepiscopo & Abati, atque monachis eius-  
 dem loci vendiderat, accepto librarum VII. pretio. An-  
 no XXVIII. regnante Carolo R. Fisticæ vero fre-  
 quens in eam rem vsus. Marculfus lib. I. cap.  
 XXI. quod in presenti per fistucam eas eidem vsus est  
 commendasse, lib. II. c. XIV. pars partii tradidisse, &  
 per fistucam omnia partitum esse dixisse. Leg. Salica  
 tit. XLVIII. vbi qui modus donationis faciendæ  
 fuerit, & possessionis transferendæ traditur, &  
 tit. LII. Frequentia huius traditionis ex facili-  
 tate descendit, quod fistuca obuiam sæpe oc-  
 currat. Id luculenter describitur in concessio-  
 ne Guidonis Comitis Pictauorum, quam ego  
 doctissimo viro Ioh. Belio Fontenaiensis apud  
 Pictonas præfecturæ Aduocato Regio, lubens  
 acceptam refero. Dignus profecto, qui in hanc  
 rem exscribatur, locus. *Vobis & omnibus aliis ab*  
*hinc inantea* permitto, concedo, & ad integrum resti-  
 tuo, terras easdem & cætera omnia cum omnibus pri-  
 stinis consuetudinibus sicut ipse & mater mea cum illi  
 senuerunt, & monasterio S. Trinitatis dederunt ut ha-  
 beatis & teneatis firmissimo stabilimento vos & poste-  
 ri vestri. Tunc inclinavit se Comes, & accepit VIRI-  
 DEM SCIRPVM, nam domus recenter erat ius-  
 cata, sicut solemus facere quando aliquem persona præ-

tenis vel Dominum suscipimus, vel amicum. Tunc inco ipso, non tam donum faciens quam restaurati-  
nem, dedit duobus fratribus qui presentes aderant, id  
est domno Claro & fratri David, &c. Anno ab incar-  
natione Domini MLXVIII. Indict. VII. X. KL. Iunij.  
Acta est ista concessio à venerabili Comite Pictauorum  
Vidone infra terram quæ vocatur Maritima apud ec-  
clesiam S. Saturnini.

VVERPISSE.] id est dimittere, & sic alium  
vestire. Vita Caroli M. apud Adhemarum inge-  
nitatem illorum, & alodem manibus gurpiterunt: quo  
loco in quibusdam exemplaribus non gurpie-  
runt, sed *dulgtum* fecerunt scriptum esse VC. P. Pi-  
thæus notauit, quæ verba eodem recidunt.  
Chron. S. Benigni Diuionensis sub Rodulfo  
R. Robertus Vicecomes in ipso placito, in præ-  
sentia principum eosdem seruos vvirpuit & sancto  
Benigno reddidit. Eò etiam referendum quod in  
Form. XLII Incerti auctoris dicitur *de ipsis rebus*  
*se exutos esse dixisse*, nam rem dimittendo & se  
exuendo alium inuestibant. Quo Vverpiendi  
verbo hodie vtimur, in iure enim dimittere,  
*desguerpir* dicimus. Inde vidua in veteribus  
Gallicis scriptis *la guerpie*, quasi relicta dicitur.  
Froflart. Hilt. Vol. I. cap. CCXLI.

LÆSOVVERPISSE.] leg. Salicæ tit. XLVIII.  
hæc traditur donationis forma quæ à Marcul-  
fo non longè recedit, *in mallo*, &c. & sic *festucam*  
*in laicum eius iactet*, & ipsi in cuius *laisum festucam*  
*iactauerit, in casa ipsius manere*, & *hospites tres susci-*  
*pere*, &c. FR. Pithæus ex vet. glossar. *in laisum*  
in sinum interpretatur, huicque eleganter vul-  
gare forense verbum *tendre le giron* refert. Ita-

que Lesouuerpisse est rem aliquam dimisisse, & alteri tradidisse festuca in sinum iactata.

ACCOLABVS. ] Hæc enumeratio omnibus instrumentis adscripta est, vt exempla proferre frustra sit. Accolæ vero qui heic nominantur sunt coloni seu adscriptitij qui simul cū prædiis venibant, vt & de villicis, saltuariis, & actoribus apud Iurisconsultos exempla extant. Chartul. S. Martini cum hominibus ibidem commanentibus, quos colonario ordine viuere constitimus. Seruorum autem quæ fuerit apud Germanos veteres conditio, apertè declarat Tacitus: *Seruis non in nostrum morem descriptis per familiam ministeriis, vtuntur. Suam quisque sedem, suos penates regit, frumenti modum Dominus, aut pecoris, aut vestis vt colono iniungit: & seruus hætenus paret.*

CAP.  
XIV.

ERGO COGNOSCAT. ] Si ad proximam præfationem hæc referas, absona & aliena erūt. Nam cum in superiori præfatione loci sancti fiat mentio, heic de illustri viro loquitur. Verum & hæc & quæ sequuntur ad primam & secundam præfationem referenda, quæ de donationibus à Rege fidelibus suis factis scriptæ sunt.

FARINARIIS ] Farinarium pro pistrino dicit, vt & alij non pauci mediæ sæculi scriptores. Leg. Salicæ tit. xxiv. 3. *si quis scusam de farinario alieno ruperit.* Tit. xxxiii. 3. *si quis viam que ad farinarium ducit, clauserit.* Diploma Caroli simplicis R. de S. Martini cœnobio, cum vineis, eulturis, syluis, pratis, farinariis. In Traditionibus Fuldensibus. lib. ii. totum & integrum, terris, syluis, campis, pratis, pascuis, aquis, molinariis, &c.

CONFIRMATIO PRO SÆCVLARI-  
BVS VIRIS.] Confirmatio est à Rege con-  
cessa, eius quod ab anterioribus Regibus, qui-  
busdam personis ex fisco donatum fuerat, non  
in beneficium seu feudum (morte quippe acci-  
pientis finiebatur) sed in proprium, vt ad suc-  
cessores etiam transfret. Quod ex his verbis  
manifestum est, *Et ipse Et posteritas eius eam te-  
neant Et possideant, Et cui voluerint ad possidendum  
relinquant, vel quicquid exinde facere voluerint ex no-  
stro permissu libero perfruantur arbitrio.* Theganus  
Treuirensis Chorepiscopus De gestis Ludeu-  
nici imp. c. XIX eius liberalitatis nomine Ludo-  
uicum extollit, *in tatum largus vt villas regias, quæ  
erant sui Et aui Et tritani fidelibus suis tradidit, eas  
in possessiones sempiternas, Et præcepta construxit  
&c.* quæ tamen non rectè Falcetus de benefi-  
ciis intelligit, & præter auctoris mentem feu-  
dorum successionis & proprietatis inde dedu-  
cit originem Antiquit. lib VIII. c. XVIII. In char-  
tular. S. Martini Turonensis extat eius dona-  
tionis diploma Caroli simplicis R. Odoni Co-  
miti factæ: *placuit fidelem nostrum de rebus proprie-  
tatis nostræ donare, vt quicquid pro utilitate, iure pro-  
prietario facere decreuerit licentiam habeat, Et potesta-  
tem faciendi, donandi, vendendi seu commutandi.* An-  
no X regni Indict. XII. Narbona. Itemque alia eius-  
dem Odonis, tum Regis Ebolo Comiti. Sic  
etiam accipio, *in alodium dare* Synodi Melden-  
sis cap. XLI.

DE REGIS ANSTRVTIONE.] Ex hac CAP.  
formula apparet antrusionem dici fidelem re- XVIII.  
gis, qui se fidem ei seruaturum iuramento spo-

pondit. Quod & nomen indicat: Fidem enim *irev* hodie quoq. Germani vocant, vt & apud Auentinum *drou* & *dravv*, quæ non nisi pronuntiatione differunt. Itaque antrustiones fideles sunt, leudes vt passim Gregor. Turon. eos vocat, & Auctor Appendicis ad Gregor. siue is Idacius siue Fredegarius sit, aut vt sequens etas dixit vassi & vasalli. Inde Trustis leg. Salicæ tit. XLIII. 4. *si quis eum occiderit, qui in truste dominica est, xxiv. denariis, qui faciunt solidos DC. culpabilis iudicetur.* Aliter vero in Reg. Ms. legis Salicæ, quæ Marculfo nostro præposita est concipitur, quod proximè huic formulæ accedit. *Si quis antrustionem dominicum occisserit malb. malebo, xxiv. denariis, qui faciunt solidos DC. culpabilis iudicetur.*

VNA CVM ARIMANIA SVA ] Ita edidi, FR. Pithœum sequutus, qui ad tit. XLIII. leg. Sal. hanc formulam exscripsit: etsi Reg. exemplar non *arimania* sed *arma* habeat. Hæc certè aliquandiu vtrum eligerem, quod per arma iusiurandum olim præstitum memineram, itemque illud interpretari posse putarem, de eo qui armis ornatus, vt par erat, conspectum principis adit. Vicit me tandem auctoritas Pithœi, quam etiam ratio suadet. *Arimania* ergo heic pro familia vsurpatur. Sanè eo nomine seruorum seu colonorum speciem significari, multis ex instrumentis manifestum est. Vido imp. in legibus Francicis & Longobardicis adiectis tit. v. *Nemo Comes, neque loco eius Præpositus, neque sculdafius, ab arimannis suis aliquid per vim exigat præter quod constitutum legibus est, sed ne-*

que per suam fortunam in mansione arimani se applicet, &c. tit. VI. 2. Si ex precepto imperiali Comes loci ad defensionem patriæ suos arimannos hostiliter preparare monuerit, &c. Diploma Conradi imp. pro ecclesia Mutinensi, anno MXXXIX. apud Sigonium De Regno Italiæ lib. VIII. castella, villas, mansos, seruos, & ancillas, erimannos & erimannas.

IN MANV NOSTRA TRVSTEM ET FIDELITATEM VISVS EST CONIVRASSE.] Manibus enim datis more Francico, fidelitas promittebatur. Annales Pipini, insertæ Aimoini continuationi lib. IV. c. LXIV. Illuc & Tassilo Dux Bavariorum, cum primoribus gentis sue venit: & more Francico, in manus Regis in vassaticum manibus suis semetipsum commendavit: fidelitatemque tam ipsi Regi Pipino, quam filijs eius Carolo & Carlomanno iureiurando supra corpus sancti Dionysii promissit, qui locus fidelitatis illius morem apertè tradit, & Marculfum omnino illustrat. Sacramenti vero formulam qua cõceptis verbis super sanctorum reliquias iurabatur, ediderunt P. Pithœus VC. vna cum secundæ Regum familiæ historicis, FR. Pithœus in Glossar. & Falcetus Antiquit. lib. VI. c. V. ideoque non exscribo. Hominium id postea dictum est, cuius formulas posterioribus sæculis varij variè pro more regionis tradiderunt. Richardi Capuæ principis fidelitatis iusiurandum lib. I. Registri Gregor. VII. PP. extat. Vidēdi Fulbertus apud Iuonem Carnotēsem Decreti par. XII. c. LXXVI. Radeuicus. lib. III. c. XIX. lib. II. Feudorum. tit. VI. & VII. Gallica vero lingua pleræque Ciuitatum leges & Consuetudines, liber II. Ms. legū,

Parisiiorum & Aurelianensium, Butellerius in Summa Rurali. Sed vt ad Annales Pipi redeã scitè *seipsum commendauit* scriptum est, *se* namque *commendare* pro hominiam seu fidelitatem facere tunc vsurpabatur. Hincmarus de Villa Nouiliaco ( eruditorum etenim coniecturã, qui huius opusculi eum auctorem faciunt libens accedo ) *Processu denique temporis commendauit Donatus filium suum Gozelum Carolo Regi, cui in beneficium dedit Carolus villam Nouiliacum cum appenditiis suis. Nithardus lib. i. Qui omnes commendati eidem sacramento fidem firmauerunt. Concessionis præceptum à Ludouico imp. Hispanis datum. Nouerint tamen ydem Hispani sibi licentiam à nobis esse concessam, vt se in vassaticum Comitibus nostris, more solito commendent, Diuisio regni Ludouici pij. cap. vi. Sic etiam accipienda hæc verba, se illi committit, apud Frodoardum ad an. 922. 924. & 940 Illud postremò obseruandum, fidelitatem hodie quidem feudi causa tantum præstari, tum vero, vt ex hac formula patet, etiã citra beneficium plerique eiusmodi sacramento fidem suam obstringebãt, seruitiumq; principi profitebantur, non tamen fortasse sine spe aliquod beneficium postea principe obtinendi. Solebant enim Reges his fidelib. suis beneficia seu feuda vacantia cõferre. Concessionis præceptum Ludouici imp. pro Hispanis, si beneficium aliquod quispiam eorum ab eo. cui se commendauit, fuerit consequutus, sciat, &c. Sangallensis De gestis Caroli M. lib. i. cap. xxii. de quodam episcopo: Hic habuit vnum vasallum non ignobilem cuius iurum valde strenuum & industrium, cui tamen ille, ut*

*dicat*

*dicam aliquod beneficium, sed ne vnum quidem aliquando blandum sermonem impendit: vbi vafallum sine feudo & beneficio nominat. Vid. Capitul. lib. III. c. LXXIII. Possent & alia non pauca eiusdem rei exempla proferri.*

TRVSTEM] id est fidem. Leg. Sal. tit. XLIII. Decretio Chlotarij R. cap. 3. Vnde *antrustio*, de quo antea.

V VIRGILDO SVO] Vvirgildus tum vocabatur pecunia quæ pro homicidio, aut alio delicto defuncti heredibus & propinquis soluebatur: fredum vero quidquid ex eadem causa fiscus capiebat. Nam apud Germanos veteres certa pecuniæ summa delicta æstimabatur, neque homicidium morte lvi lex erat. Leg. Baiuuar. cap. I. tit. VII. 3. *Nulla sit culpa tam grauis vt vita non concedatur*, cap. II. tit. I. 4. *Vt nullus Baiuarius a lodem aut vitam sine capitali crimine perdat, id est si in necem ducis consiliatus fuerit, aut inimicos in prouinciam inuitauerit, &c. Cætera vero quæcumque commiserit peccata, quousque habet substantiam componat secundum legem.* Vides facinorosos nec vita nec bonis priuari, nisi in maiestatis crimine, in cæteris pecuniariam fuisse pœnam, quæ *compositio* dicebatur. Idem in reliquis eiusdem ævi legibus obtinet. Morem hunc antiquissimum obseruauerat Tacitus: *Suscipere tam inimicitias seu patris seu propinqui, quam amicitias necesse est. Nec implacabiles durant. luitur enim homicidium certo armentorum ac pecorum numero, recipitque satisfactionem vniuersa domus.* Ideoque frequenter in vet. legib. & capitulis hæc verba reperias *de vita componat*, & Capitul. lib. III. cap. X.

*si quis conuictus fuerit pexiury, perdat manum aut redimat. Vveregildus igitur compositio dicitur quæ propinquis præstatur luendi homicidij, aut alterius criminis causa. Præter vett. leg. in quibus sæpius id occurrit Capitul. lib. iv. c. xiii. c. xv. cap. xviii. Qui hominem publicam pœnitentiam agentem interfecerit, bannum nostrum in triplo componat, & vuirgildus eius proximis persoluatur. Burchardus in lege Familix. Ius erit familia, vt de vuergeldo fiscalini hominis quinque libræ ad cameram reddantur, & duæ libræ & dimidia amicis eius contingant. Item vuergeldum reddat, & cum proximis pacem faciat. In Vvillielmi Normanni Angliæ R. Legibus apud Rogerium Houedenum Annal. par. post. in Henrico II. Vvere suum id est pretium redemptionis suæ soluat. Inde triniumgeldum, & niungeldum pro triplici & nona compositione in legib. Baiuuar. tit. ii. c. xiii. & tit. viii. c. i. & ii. Leg. Alaman. tit. vii.*

*SOLID. DC. ESSE CVLPABILEM.] quæ Salica & magna est compositio, Leg. Sal. tit. xliiii. & passim. Pragmaticum Regum Lotharij & Ludouici pro ecclesia Parisiensi. Si forte calliditate iudicis, aut alicuius personæ, ipsæ immunitates alicubi inruptæ fuerunt, priscorum lege id est solidis dc. mulsetur.*

CAP.  
XIX.

*PRÆCEPTVM DE CLERICATV] Iam monuimus præceptum apud Gregor. Turon. Marculfum & alios pro diplomate principis accipi. Præceptum igitur de clericatu heic dicitur Regis epistola qua licentiam alicui concedit vt clericus fieri possit. Nam absque principis consensu clericos ordinari mos non erat.*

Quod apertè hæc formula testatur. Synodi Aurelianensis l. c. vi. De ordinationibus clericorum id observandum esse dicimus, ut nullus secularium ad clericatus officium præsumat accedere, nisi aut cum Regis iussione, aut cum iudicis voluntate. Eius rei ratio redditur à Carolo M. apud Ansegisum lib. i. c. cxx. ubi id quoq. renouata cõstitutione sancitur. De liberis hominibus, qui ad seruitium Dei se tradere volunt, ut prius hoc non faciant, quam à nobis licentiam postulent. hoc ideo quia audimus aliquos ex illis non tam causa deuotionis hoc fecisse, quam pro exercitu, seu alia functione regali fugienda. Quosdam vero cupiditatis causa ab his qui res illorum contempserunt, circumuentos audimus, & hoc ideo fieri prohibemus.

IN PVLETICO PVBLICO CENSITVS NON EST ] Pithæus ad tit. xxvi. Leg. Sal. hanc particulam exscribens *polyptico* legit, rectius sanè & concinnius. Sensus namque huius loci hic est Regem licentiam alicui dare clericum fieri, si quidem ingenuus sit, non seruus publicus, aut colonus, siue adscriptitius, qui in publicis rationibus seu polyptychis census & inscriptus non sit. quò pertinet Synodi Rhemenfis sub Sonnatio episcopo decretum, apud Flodoard. Hist. Rhem. lib. ii. c. v. *Hi vero quos publicus census spectat, sine permissu principis vel iudicis se ad religionem sociare non audeant.* Rationes autem publicæ polyptycha dicuntur. In leg. ii. De discussoribus. Cod. Th. quæ initio impp. *polyptica*, dixerant in fine eadē *ratiocinia publica* vocant, quod ibidem etiã rectè Anianus interpretatur. Vegetius De re militari

lib. II. c. XIX. Cassiodor. Variar. lib. V. c. XIV. Plenè autem de polyptichis agit Magnus Cuiacius Obseruat. lib. IV. c. XXVII.

COMAM CAPITIS SUI TONSURARE ] Comam namque clerici ordinandi deponabant. Greg. Turon. lib. III. c. XVIII. de Chlodoualdo Chlodomeris R. F. *sibi propria manu capillos incidens clericus factus est*: lib. IV. cap. IV. de Macliavo Britanno, *Venetiam urbem expetit ibique tonsuratus & episcopus ordinatus est. Mortuo autem Chanaone hic apostatauit, & demissis capillis uxorem quam post clericatum reliquerat, cum regno fratris simul accepit*: hic enim Macliavus cum clericatu renuciare vellet, demisit capillos, id est comam nutrire cœpit. Inde plerisque synodis cauetur ne clerici comam nutriant. Labet hec obiter adnotare, cum Childebertus & Chlotarius RR. de fratris filii interficiendis consilium caperent, Clotildæque matri utrum illos tonderi an interfici mallet, nuntiarent, tonderi non accipi ut clerici, aut monachi fierent, ut plerique intelligunt, sed an vellet eos à regni successione remoueri, incisa cæsarie, quam prolixam, & venustè comptam Reges, Regique tum principes alebant. Id apparet ex his apud Greg. Turon. verbis, lib. III. c. XVIII. *utrum incisa cæsarie, ut reliqua plebs habeantur.*

CAP. XXI DE DIVISIONE VBI REGIS ACCESSERIT MISSVS.] Familiæ erciscundæ iudicij formula est, qua Rex diuidendæ hereditatis causa, ad petitionem partium missum sum delegat. Huc planè facit Gregor. Turon. locus lib. IX. c. XXXIII. *in qua causa Theutaris presbyter,*

qui nuper ex referendario Sygiberti regis conuersus presbyterij honorem accepit, accessit ut hanc diuisionem iuxta regis imperium celebraret. Illud constat iure Romano Prætores coheredibus, aut aliis uolentibus à communione discedere, arbitrum dedisse.

ET DECIMA ILLIUS SVMPVS LITIS ] in Ms. uitiôsè scriptum erat *sumtellis*, cuius loco *sumptus litis* reposui, quod & scripturæ uestigium & sensus ipse suadebat. Sententia igitur est, Regem decimam illius litis, sumptuum seu expensarum nomine fisco suo quacumque de causa debitam, alicui donare & concedere. Olim namque apud Romanos necessaria erat ex parte actoris cautio decimæ partis litis, calumniæ nomine, qua initio litis cauebat actor ni uicisset reo decimam præstitum iri. Extât in consultatione ueteris Iuriscōsulti constitutio Diocletiani ex Cod. Hermogeniano (quam inde etiam exscribit Cuiacius Obseruat. vii. c. vi) quæ eius repromissionis decimæ partis meminit, *quippe si per calumniam hoc eum facere confidis, remedio repromissionis initio postulata calumniæ decimæ partis eius quod competit, tibi condemnari eum desiderare potes.* Cuius cautionis specimen præbet cap. xxix. Formular. Legis Romanæ. Hanc obsoletam sustulit Iustinianus leg. ult. §. antiqua. Cod. De iureiurand. propt. calum. dan. §. Hæc autem Institut. De pœna temerè litigant. eandemque postea reduxit non abolito calumniæ iureiurando Nou. cxii. Decimam igitur litis apud Fræcos receptam fuisse probat hæc formula, quæ à Romanis acce-

pta in tantum inualuit, vt non aliæ litium expensæ multis sæculis in vsu fuerint præter decimam rei in iudicium deductæ, & pecuniariam multam quam emendam dicebant: vt auctor est Petrus Fontanus, qui B. Ludouico R. claruit, cuius ea de re vetus quoque constitutio extat. Tandemque decreuit Carolus IV. R. vbi que illud obseruandum, vt victus victori in expensas teneretur, non in prouinciis tantum vbi ius scriptum pro legibus erat, quod optimus doctissimusque senex Ant. Oisellus obseruauit Manual. lib. VI. Id porro heic singulare est decimam litis fisco præstari solitam, verum sic accipio vt sportularum & iudicij nomine pars illius decimæ fisco competeret. Sane vetustissimo Romano iure quidpiam non dissimile obseruatum ex Varrone & Festo elici potest. Sic enim ille De lingua Latina lib. IV. *Ea pecunia quæ in iudicium venit in litibus, sacramentum à sacro. Qui petebat, & qui inficiabatur, de aliis rebus vterque quingentos æris ad pontem deponebant: de aliis rebus item certo alio legitimo numero assium. Qui iudicio vicerat, suum sacramentum à sacro auferebat, victi ad ararium redibat.*

CAP. DE CAUSIS ALTERIUS RECIPIENDIS.] Vetustissimo Romano iure non licebat per procuratorem agere, Instit. De his per quos agere possumus, sed postea receptum est in plerisque causis per procuratores etiam experiri. Apud Francos vero illud nõ licuisse citra principis rescriptum, docet hæc formula, qua conceditur, vt quidam qui propter simplicitatem rebus suis superesse non potest per alterum

possit agere, quod & veteribus Romanis non ignotum. Auctor ad Herennium lib. ii. *Ex aequo & bono ius constat, quod ad veritatem & utilitatem communem videtur pertinere: quod genus, ut maior annis LX. & cui morbus causa est, cognitorem det.* Illud longo post tempore apud nos obtinuisse, ut præter Regem nulli procuratoris habendi absque principis consensu, facultas suppeteret testantur Io. Faber ad §. Vniuersitatis Instit. De rer. diuis. & Brolius in stylo Parlam. Innocentij quoque III. PP. rescriptum ad scholares Parisienses, qui procuratoris constituendi licentiam ab eo petierant, hanc habet ex more Francico dubitandi causam, cap. quia in causis De procurator.

CLEMENTIÆ REGNI NOSTRI PETIT] Eadem ratione & ecclesiarum aduocati seu defensores à principe petebantur. Benedictus Leuita Capitul. lib. v. c. xxxi. & lib. vii. c. cccviii. Chlotarius R. in Chrono. Besuensi, Vvaldalenus Abas petiit à nobis, ut illustris vir Gēgolfus omnes causas ipsius monasterij ad prosequendum & redintegrandum deberet recipere. Cui nos hoc beneficium præstitisse cognoscere. Quapropter per præsens hoc præceptum iubemus, ut memoratas omnes causas ipsius monasterij, illustris vir ille ex nostro permissu licentiam habeat prosequi, & vnumquodq. ut iustum est restituat. sic tamen quandiu eorum pariter fuerit voluntas. Data xv. Kl. Sept. Anno viii. regni domni Chlotarij Regis.

IN VICE IPSIVS] qui propter simplicitatem, ut dictum est, rebus suis iuperesse non poterat. Sic accipienda in Legib. Andegauenfib. c. xl. *procuracion par non puissance.*

H h iij

ADMALLANDVM PROSEQVENDVM. QVE] Admallare id est ante iudicem vocare litigandi causa. Leg. Salicæ tit. LII. 2. *si adhuc supradictum debitum solvere noluerit, debet eum sic admallare, Rogo te iudex ut hominem illum, denominatum, gasachionem meum (i. aduersarium) qui mihi fidem fecit, de debito tali, denominato, secundum legem Salicam mihi eum adstringas. Tunc iudex dicere debet, Ego gasachium tuum illum in hoc mallo quod lex Salica habet. & tit. LIII. Secundum legem habeat admallasum. Inde hamallus leg. Sal. tit. XLIX. ista omnia ubi suus hamallus est. Quæ omnia, à Mallo seu placito, in quo iudicia fiebant, nomen habent, qua de re postea ad incerti auctoris Formulas.*

OMNES CAUSAS LVI] Lui corruptè pro illius infinitis locis occurrit, indeque dictio nostra lui, eodem omnino sensu, quod semel adnotasse sufficiat.

DIRECTVM FACIAT] nostris droict. Gregor. Turon. lib. IV. c. XIV. *desistite ab hac intentione, verbum enim directum non habemus.* Formula sacramenti fidelitatis apud Attiniacum facti, sicut Francus homo per recte esse debet suo Regi. Id à recti vocabulo mutuatum, ut Curuo dignoscere rectum apud Horatium, unde apud nos eodem sensu, tort & droict.

CAP.  
XXII.

PRÆCEPTVM DENARIALE.] Manumissio hæc est per denarium præsentem Rege facta. Multis quippe modis apud veteres Francos manumissio procedebat, aut ante regem per denarium, cuius heic editur formula, aut in ecclesia per chartam seu tabulam, aut etiam per epistolam priuatam, quarum formulas, lib.

ii. & inter veteres alias videre est. Inde libertorū alij denariales, alij chartularij, seu tabularij dicti. Benedictus Leuita Capitul. lib. vi. cap. ccviii. ex Pipini Italiæ R. legibus tit. x. *Homo denarialis non antea hereditare in sua agnatione poterit, quam vsque ad tertiam generationem perueniat. Homo chartularius similiter faciat. & manumissio quidem per denarium ex lege Salica, Ribuarica, aut alterius aduentitiæ gentis descēdebat, per tabulam vero seu chartam in ecclesia secundum legem Romanam fiebat, & eadem ratione manumissi per chartam lege Romana utebantur: illa vero libertatis datio per epistolam priuatam, ex domini manumittentis gente, legem sumebat. Leg. Ribuar. tit. Lix. & tit. Lx. qui de tabularijs, id est per chartam manumissis inscribitur, & tit. Lxiii. vbi plura de manumissionib. & earum forma. Apud Longobardos quatuor manumissionū species erant. Leg. Longobard. tit. xxi. Luitprandi R. tit. xxxiv. & Astolfi R. tit. viii. De manumissione in ecclesia, aut per epistolam postea agitur: Hæc vero de qua nunc Marculfus, solenniter auctoritate regis, eoq. præsentem, iactato denario per manum seu domini, seu alterius celebrabatur, vt hæc formula ostendit. Eius etiam in veteribus instrumentis aliquot extant exempla. In veteri charta ecclesiæ Lugdunensis apud FR. Pithœum ad Leg. Sal. tit. xxviii. *Seruum iuris vestri manu propria, & manu illius excutientes denarium, secundum Legem Salicam, liberum, cum omnibus quæ habet vel adquisierit, fecimus. Quibus addere placuit & aliud exemplum nondum**

editum ex tabulario S. Martini Turonensis: Carolus imperator Augustus &c. Adalgarius Leuita petiit, vt imperiali more præceptum fieri iuberemus. Decernimus vt more prædecessorum nostrorum, imperatorum & Regum, à manu ipsius Leuthardi denarius excutiat, vt à præfenti die idem Leuthardus, semper & vbique omnibus locis liberatus valeat vti propria potestate absque alicuius resultatione, aut contradictione, & quoque ei libuerit omnibus modis liber & velut nobili prosapia genitus esset, liberaliter per nostram auctoritatem pergat: Hanc præceptionem manu nostra firmauimus, & annulo nostri imperij sigillauimus. Amalbertus notarius ad vicem Auberti archicancellarij. Data xv. Kl. Iulij Anno incarnationis dominicæ DCCCLXXXVI. Indictione v. imperij Caroli VII.

IACTANTE DENARIO ] pro iactato denario, vt sæpe nuncupante pro nuncupato. Igitur excutiebatur nummus de manu ipsius serui qui manumittebatur, vt ex locis supra exscriptis apparet: qui nummus vel argenteus, vel aureus erat, nullo prorsus discrimine. Id enim pro forma & dicis tantum causa, vt apud Romanos in mancipatione. Vet. Formul. apud FR. Pithœum. Nos vero manu propria excutentes de manu supradicti N. denarium vel nummum, vel argenteum, vel aureum, vel dragmam, vel sestertium, vel minam, &c.

SECUNDVM LEGEM SALICAM ] Caput hoc legis Salicæ non extat, eius tamen mentio fit tit. xxviii. Si quis seruum alienum ante regem per denarium ingenuum dimiserit. Ex quo & aliis plerisque argumentis coniiicere licet

multo plura fuisse legis Salicæ capita, quam quæ ad nostram memoriam peruenerint. Eodem modo in formulis Incerti auctoris cap. XLVII. *postea ante dominum illum Regem iactato denario secundum Legem Salicam te ingenuam dimisi.* In charta ecclesiæ Lugdunensis apud Pitheum *excipientes denarium secundum Legem Salicam.* Ibidem Vet. Formul. *secundum Legem Salicam eum liberum dimisimus, & ab omni iugo libertatis absolimus.* De eiusmodi manumissione per denarium ante regem, est etiam titulus specialis in lege Ribuarum tit. LIX. vnde apparet non Legis Salicæ propriam fuisse, sed & aliarum legum. *Si quis, inquit, libertum suum per manum propriam, seu per alienam in presentia regis secundum legem Ribuarum ingenuum dimiserit per denarium, &c.*

SICUT ET RELIQVI MANSOARIJ] Mansoarij heic dicuntur, qui aliis manentes, siue commanentes, & villici *παροικιοι*, mansi, seu mansarij, coloni denique, totidem namque vocabulis appellantur. Mansuarij in continuat. Aimoini li. v. c. xxx. vbi de Normannici tributi exactione à Carolo Caluo R. *ut de mansis indominicatis solidus vnus, de vnoquoque manso ingenuo quatuor denarij de censu dominico, & quatuor de facultate mansuarij: de manso vero seruili, duo denarij de censu dominico, & duo de facultate mansuarij, quo tamen loco Falcetus non rectè mansum pro homine accipit, disertè enim ibidem cauetur de censu fundi, seu mansi nomine exigendo, & de facultatibus & bonis hominum aliud tantum, hoc est tributum & rei & personæ.*

Manfus enim villula est coloni vnus habitationi propria, de quo ad Varias Formul. plenior erit dicendi locus. Illud quoque ex hoc continuation. Aimoin. loco aduertendū, manfos & eorum mansuarios seu colonos, alios liberos, alios seruales esse, vt & in Flodoardi appendice *mansingenuiles & vestiti* memorantur: cuiusmodi fuisse illos de quibus nunc sermo est, probat manumissio per denarium, colonariæ tamen conditionis: coloni namque iure Romano liberi sunt & res proprias habent Leg. i. De præd. tami. Leg. xviii. De agricolis & cens. lib. xi. Cod. terram tamen dimittere non possunt, nec etiam potest prædium vendi receptis colonis, Leg. ii. eod. tit. De agricolis. Itaque concessa non fuit plena libertas, per quam à loco recedendi, & quamlibet partem petendi facultas dabatur. *Mansuarios* dixit Rotharis Longobardorum R. tit. xlix. & cvi.

CAP.  
XXIII.

CHARTA DE CAUSA SVSPENSA.]  
Vt dum reipublicæ causa quis abest, lites & negotia aduersus eum conquiescant. Leg. Salicæ tit. i. 4. *Si in iussione regis fuerit occupatus maniri nõ potest, quæ tamen absunt à Reg. Ms.* In editione Germanica, *si in dominica ambascia fuerit occupatus maniri non potest: & in Consuet. Hannonæsi, si eum aut infirmitas, aut ambascia dominica detinuerit.* Hæ litteræ hodie quoque ex causa conceduntur, easque litteras status vulgo nuncupamus. In constitutione Philippi Augusti R. De decimis & crucis expeditione apud Rigordum *Nullus crucem habentium siue clericus, siue miles, siue alius quilibet alicui respondebit super hoc rinde*

tenens erat ea die, qua crucem assumpsit, donec ab itinere suscepto redierit.

SVORVMQVE AMICORVM AVT GASINDORVM.] Gasindos pro servis aut fidelibus accipio, qui dominis suis perpetuò adhærent eisque iugiter ministrant: quod ex Marculfo ipso colligi potest, lib. II. cap. xxxvi. in lemmate, *si aliquis seruo suo gasindo suo aliquid concedere voluerit: initioque capitis ita scriptum est, iustissimè nostris subleuantur muneribus, qui nobis fideliter & instanti famulantur officio. mox fideli nostro illi. Pro respectu fidei & seruitutis, quam circa nos impendere non desistis.* Gasindorum porrò vocabulo vtitur Rachis R. in legibus Longobardicis. tit. VI. 4. *Si enim quicumque liber homo, in seruitio de gasindio regis, aut de eius fidelibus introierit. In iisdem Legibus Rotharis R. tit. xci. 13. si aliquid in gasindio ducis conquistit. In legibus Pipini Italiae R. tit. xiv. si forsitan attenderit ad gasindium, vel ad parentem, aut ad amicum suum.*

SEV VNDECVNQVE IPSI LEGITIMO REDIBIT MITTIO] sic scriptum non hoc tantum loco, sed & bis capite sequenti, corruptè quidem & nu'lo sensu. Itaque difficilis emendatio, præsertim in eiusmodi auctoris, vbi cauendum ne menda purgando auctoris faciem immutes, quod in Marculfo agere religio fuit. Lucem vero affert formula quæ sequitur, *si aliqua causa aduersus eum vel suo mittio surrexerint: vbi mittio pro misso scriptum esse clarum est.* Sententia igitur huius loci hæc est, vndecumq. aut ipse vt alterius procurator tenetur, aut ipse etiam procurator, horum omnium

CAP.  
XXIV.

causas donec reuertatur suspensas esse.

CHARTA DE MVNDEBYRDE REGIS] Mundeburdium Germanis scriptoribus tutela est seu defensio & tuitio, vnde & hæc formula: qua princeps episcopo, aut abati tuitionem & defensionem suam impertit, ne à quibuslibet infestentur, atque etiam vt eorum causæ in palatio tantum decidantur concedit: quibus non admodū dissimilia sunt diplomata quæ adhuc hodie ecclesiis dari moris est, eaque dicuntur, *lettres de garde gardienne*. Nam & ex hac formula patet, ecclesiis vt plurimum eiusmodi defensionem tribui. Vnde & Caroli Martelli maioris domus Mundeburdij Bonifacio episcopo dati diploma extat in Pithœi Glossar. in ver. *Missus sancti Petri*, quod huic formulæ plane genuinum, iisdemque clausulis constat Synodi Meldensis c. XL. *Providendum est regie maiestati, vt monasteria, quæ ab hominibus Deum timentibus in sua proprietate constructa, prædecessores illius, causa defensionis & mundeburdi susceperunt, vt libera libertate, remota spe hereditaria de illorum propinquitate, ibidem religio obseruaretur, & nunc in allodium sunt data.* Eadem decernuntur in Synodo Ticinensi sub HLothario & HLudouico an. DCCCL. apud Canisium c. XVI. *Suggerendum est beatissimis imperatoribus, quia hi qui monasteria & synodobia sub defensione sacri palatii posuerunt, ideo fecisse probantur, quod à nullo melius, quam à summis potestatibus protegenda crediderint, & c.* quæ Synodus Regiaticina à Canisio inscribitur, & de loco inquirendū censet. Ego Ticinensem dixi, quæ regni Longobardici seu Italici regia erat, quod & initium

synodi indicat in vrbe regia ticino, quæ verba distincta nullam dubitationem relinquunt: hæc obiter. Synodus Confluentina an. DCCCLX. quæ Caroli & Ludouici RR. fœdera continet. *Voluimus vt ecclesie & casa Dei, & episcopi, & Dei homines clerici & monachi & nonna, talem mandeburdem & honorem habeant, sicut tempore antecessorum nostrorum habuerunt.* Sanè Gallici episcopatus in regia tutela & defensione perpetuo fuerunt, adeo vt extremis Carolinae stirpis temporibus, & initio tertriæ regum familiæ, iure regio ciuilibus bellis imminuto, omnibus occupatis, episcopatus tamen in tutela & protectione regum manserint. Chronicon Andegauenſe de Neustria Hugoni Abati concessa sub Carolo simplici R. *Iste itaque tractus cum ei datus esset ad integrum cum ciuitatibus & comitatibus & abatiis castellisque præter episcopatus solos, qui in regia dominicata retenti sunt.* Rigordus in Philippi Augusti Vita. Nec vero ecclesiis tantum mundiburdium dabatur, sed & aliis personis, vt viduis & orphanis. Capitul. lib. vi. cap. ccxxiii. *Vt vidua, orphani, & minus potentes sub Dei defensione & nostro mundeburde pacem habeant, & eorum iustitias acquirant.*

SVB SERMONEM TVITIONIS NOSTRÆ VISI FVIMVS RECEPISSE ] Sic in verbo regis esse Leg. Sal. tit. xiv. & tit. lix. *rex ad quem manitus est extra sermonem suum ponet: quæ tamen quodammodo diuersa sunt.* Nam in verbo Regis quis recipiebatur ne ab inimicis lædi aut interfici posset.

Gregor. Turon. lib. ix. c. xix. *regina Brunichildis in verbo suo posuerat Sicharium & C. Aginnum propterans epistolam eius elicuit, ut à nullo coningeretur. Eod. lib. c. xxvii. de Guntchranno R. qui puellæ quæ Amalonem Ducem vim sibi facientem occiderat præceptionem tribui iussit, ut in verbo suo posita à nullo vnquam parentum defuncti illius molestiam pateretur. His respondet tuitionis formula apud Cassiodor. lib. vii. cap. xxxiv. diuersorum te quemadmodum quereris, dispendiis sauciatum, in castra defensionis nostræ clementer excipimus, & c.*

SUB MVNDEBVRDE VEL DEFENSIONE] Mundeburdium, ut diximus, tutela est, & Longobardicis legibus fœminarum tutor *miudoaldus & mundius* dicitur: veteribus Francis *mainbour & mainbournie* pro tutela vel cura: apud Frossartem Vol. i. ca. clv. *fussent en garde, baille, tutelle, cure, manburnie.* Burchardus Decretorum lib. xix. ex Pœnitentiali Romano: *Rapuisi uxorem tuam, & vi sine voluntate mulieris, vel parentum in quorum mundiburdio tenebatur illam adduxisti.* Sæpe etiam in eiusmodi litteris pro mundiburdio tuitio & defensio dicitur. Gregor. Turon. lib. ix. c. xx. in pactione regum apud Andelaum: *ne à quocumque, vllò vnquam tempore conuellatur, & sub tuitione ac defensione domni Childeberti, & c. debeat possidere.* Sic & in priuilegio Ludouici & Lotharij pro Corbiensi cœnobio, *ut ipsum monasterium sub nostro munimine & defensione, cum cellulis sibi subiectis & rebus vel hominibus ad se pertinentibus confirmare fecissemus, mox sub tuitiouis atque immunitatis nostræ defensione.* Ex quibus etiam liquet tuitionis clausulam frequentissimè immu-

munitatis priuilegio insertam fuisse, vt & supra cap. III. Otthonis Magni diploma pro ecclesia Mindensi, *anteriorum Regum conscripta, quauit ipsi præfata ecclesiæ res; cum omnibus in ipsis rebus consistentibus sub illorum reciperent mundeburdo. postea, mundeburdum & iurisdictionem nostram.*

TANTVM IN PALATIO NOSTRO }  
Sic edidi & postulabat sensus, nam in Ms. vitiôsè *tam in palatio* legitur. Huc facit locus synodi Ticinensis supra exscriptus, *sub defensione sacri palatij.*

QVAS IN PAGO ] legendum *qua.*

PROLOGVS DE REGIS IVDICIO] Re- CAP.  
ges nostros olim proprio ore ius dixisse notum XXV.  
est, episcopis & proceribus adsidentibus, præsertim de maioribus causis, & inter episcopos, abates, comites & potentiores personas. Capitul. lib. III. c. LXXVII. lib. V. c. CLVI. & de vassis & fidelibus suis, lib. III. c. LXIV. lib. V. c. XLVI. item ex causa prouocationis, aut negati vel diu dilati iudicij à comitibus, lib. V. c. CXLI. lib. III. cap. VII. & cum quis iudicatum facere negligit, aut se iudicio sistere recusat, lib. II. cap. XIX. Marculfus lib. I. c. XXVI. XXVII. & XXVIII. tū demum de neglectu regalium constitutionum & decretorum, & ex variis causis, de quibus aliàs singillatim. Illud est quod sæpissime hic auctor *in palatio causam prosequi.* Verum ex his quædam à rege ipso iudicabantur dum ius dicebat: quædam vero Comes palatij vice regis episcopis etiam & proceribus adsidentibus finiebat, & nihilominus regis nomine iudicata inscripta erant; ac si ipse iudicasset. Huius itaque iudicij for-

mula nunc exhibetur, præfationis videlicet, nã rei iudicatæ tot formulæ quot negotia. Nos antiquitatis causa integrum Regis iudicium in causa abatis S. Benigni Diuionensis exscribemus. Veritatem enim & rem gestam repræsentat, quam adumbratam formula tradit, præsertim cum illud ipsum instrumentum visum & laudatum animaduertentim à Io. Tilio rerum nostrarum peritissimo. Est igitur eiusmodi in Chronico Diuionensi, quod litteratissimi viri Caroli Labæi beneficio videre contigit.

CHLOTARIUS REX FRANCORVM  
 VIR INLVSTER Quotiescumque altercantium  
 iurgia Palatij nostri iudicia, nostrorumque fidelium ac  
 ecclesiarum seu sacerdotum pro quarumcumque rerum  
 negotiis noscuntur aduenire, oportet nobis in Dei  
 nomine iuxta legam seueritatem inquirere, ut deinceps  
 nulla videatur questio renouari. Ideoque cum nos in Dei  
 nomine Masolaco in Palatio nostro, una cum apostolicis viris  
 patribus nostris episcopis, optimatibus, caterisque  
 Palatij nostri ministris, necnon & Andobello Palatij  
 nostri Comite, qui de ipso ministerio ad præsens nobis  
 deseruire videbatur, ad vniuersorum causas audiendas,  
 in istoque iudicio terminandas resideremus, Aduenientes  
 ibi actores basilica domni Benigni, qua est sub oppidum  
 Diuione constructa, vbi ipse preciosus martyr in corpore  
 requiescit, & vir venerabilis Vulfecbrannus ab ipso  
 videtur, videbantur repetere à quibusdam hominibus,  
 dicentes quia antea tempo bene recordationis parens  
 noster dominus Guntchramnus quondam

rex per testamenti sui paginam ad ipsam basilicam sancti Benigni villam nuncupatam Elariacum cum adiacentiis, vel omni re ad se pertinente concessisset: & ipsi homines infra ipsum terminum commanentes, ex parte maxima plurima peruassissent, vel ad suam partem contradicerent, & reditus terra partibus ipsius basilicæ reddere contemnerent, & sylvas de ipso agro deuastassent, & terram exinde, aut prata per loca plurima inuassissent, vel vineas plantassent, aut calmas rupissent: E contra illi dicebant, quod ipse princeps dominus Guntchbrannus per præceptionem quam in præsentem protulerunt relegendam, in antecessores parentes eorum firmasset: Vbi continebatur quod ab eo tempore quo ipsum agrum Elariacum iam dictus princeps ad memoratam basilicam sancti Benigni contulerat, per munificentiam ipsius principis promouerant, (leg. promeruerant) ut quicquid ex successione parentum habebant, hoc nunc ipsis confirmatum esse deberet. Interrogatum est à nostris proceribus, si cessionem ipsius domni Guntchbranni, aut aliorum principum, seu alia instrumenta de ipso agro habebant an non, in præsentem edicere debebant. Sed ipsi professi sunt ad præsentem, quod aliud instrumentum nullum vel firmationem magis exinde non haberent quam quod præsentabant. Vnde & ipsis confirmationibus relectis & percursis, inuentum est à fidelibus nostris quod nullum detrimentum vel præiudicium ipsa basilica domni Benigni de ipso agro Elariacensi exinde non pateretur. Etiam & pactiōnem præsentabant, qualiter antecessor supradicti Vulfechrāni, Richimarus quondam aba, seu & apostolicus vir dominus Berthoaldus episcopus, vna cū ipsis, vel parentes

eorum de parte maxima de infra termino ipso Elariacense contentionem maximam habuissent: & ipsas terminations perambulassent & signa posuissent. Proinde nos taliter vna cum nostris proceribus in quantum illustre vir Andebaldus Comes palatū nostri testimoniauit, constituit decreuisse, vt dum hæc causa inter ipsos sicut superius continetur taliter acta, vel inquisita fuisset, per ordinem iubemus ipsum agrum Elariacense, quantumcunque dominus Guntchranus per testamenti sui paginam ibidem delegauit, postposita & calcata ipsa confirmatione vel reliquis [ à domno Guntchranno ] & successoribus principibus factis descriptionibus, ne deinceps per ipsos aliqua remoueri videatur causatio, sed quod hæctenus tenuisse videntur infra ipsum agrum Elariacense vel vbiicumque tam terris, curtis, casis, vineis, pratis, syluis, pascuis, aquis, adiacentibusque suis per alia loca cum omni iure teneant, possideant absque sollicitudine, absque alicuius repetitione: Sitque in Dei nomine ad partem sancti Benigni & promissorum subiectorumque eorum euindicatum omni tempore, &c. loci ac re ( leg. eius loci ac rei ) supra causatio. ABBIEINVS recognouit & dedit sub die IX. KL. Nouemb. in anno VIII. regnante domino nostro feliciter Amen. Airardus presbyter recognouit & subscripsit. Chlotarius ille filius erat Chlotouci Dagoberti F. vt idē chron. testatur, Guntchranumque R. parentem vocat quod ex maioribus suis vnus, proauique patruus & loco patris fuerit.

VNA CVM DOMNIS ET PATRIBVS  
NOSTRIS EPISCOPIS ] Hi enim in iudiciis regi adfidebant, vt etiam notauit Tillius, qui rectē curiæ seu Parlamenti originem hinc

deducit, illudque ita durasse vsque ad Philippi Vallesij tempora, qui amplissimum Parisiensem Senatū à comitatu & consistorio principis separatū, edicto constituit. Huius quoq; iudicij episcopis & proceribus adstātibus forma refertur Antiquitatū Fuldēsiū lib. I. *Anno dominicæ incarnationis DCCCXXXVIII. ind. I. XVIII. KL. Julij facta est contentio Gozbaldi & Hrabani abatis, coram imperatore Ludouico & filio eius Ludouico & Carolo, necnon & principibus eius in palatio apud Niomagum oppidum constituto de captura, &c. presentibus Trugone archiepiscopo, Oigario archiepiscopo, Radolto episcopo, &c. Adalberto Comite, Helphrico Comite, Albrico Comite, Popone Comite, Gobaruino Comite Palatii, Ruadberto similiter Comite Palatii, &c. innumerabilibus vasallis dominicis.*

OPTIMATIBVS NOSTRIS ] Ita nobilissimi & regni priores in Appendice Greg. designantur, Capitul. lib. I. c. cxxxii. *vt omnes episcopi, abates, abatissa, optimates & Comites, lib. v. c. v. per consilium sacerdotum & optimatum meorum.* Frequentissimè vero in Annalibus Fuldensibus à P. Pithæo & Mar. Frehero editis. Caroli Calui præceptum de fugitiuis S. Dionysij *statuimus cum communi consensu & consilio totius regni nostri optimatum.* Idem priores regni Gregorio Turonēsi, primates Appendici, maiores & seniores Hincmaro, proceres infra cap. xxxviii. Palatini in Roberti R. priuilegio pro S. Dionysij cœnobio, *ex sententia Palatinorum nostrorum adiudicauimus.*

PATRIBVS ILLIS ] Repetitio, hoc est episcopis illis, qui patres ab ecclesia, dignatione meriti & sacerdotij dicti sunt. Urbanus PP.

ex Augustino apud Gratianum Distinction.  
LXVIII.

REFERENDARIIS ILLIS ] Referendarios Romani habuerunt, qui supplicum desideria principi referrent, simulque eius iussiones & responsa exponerent, Nouel. x. & cxiii. Cassiodor. lib. vi. cap. xvii. vbi eorum describit officium. Apud Francos vero diuersum quodammodo munus erat. anulum namque principis Referendarium tenuisse Gregor. Turon. ostendit lib. v. c. iii. Et eod. lib. cap. xl. Vrsicinum Vltrogotthæ reginæ Referendarium facit: subscriptionem etiam regiis litteris apposuisse idem testatur lib. x. cap. xix. vt Referendarium summi Cancellarij munus sustinuisse apud Gregorium dubitari non possit. Quod & Sigebertus scribit ad annum DCXXXVII. *Referendarius, inquit, dicebatur ad quem publica conscriptiones referebantur, vt per eum anulo seu sigillo Regis confirmarentur.* Eadem fere Aimoin. lib. iv. cap. xli. At cum plurium Referendariorum heic fiat mentio, & summorum Cancellariorum primæ regum familiæ diplomata reperiantur, suspicari licet hoc saltem tempore & postea Referendarios in aula Francica plures fuisse, qui scilicet libellos supplices & diplomata subscribenda regibus offerrent. Quod innuere videtur præceptum Dagoberti de fugitiuis S. Dionysij. *Landericus obtulit, Dagobertus Rex subscripsit: in præcepto immunitatis eiusdem cœnobij, Dado obtulit, & in diplomate Chlodouei Dagoberti F. Gerardus obtulit, Chlodouius rex subscripsit.* Nisi forte conicias ex referendariorum ordine vnum

aliquem anuli principis custodem fuisse. Hodie quidem Magistri libellorum supplicum eorum officio funguntur.

DOMESTICIS ] de quibus ad lib. II. c. VI. commodius tractabitur.

SENISCALCIS ] Annales Fuldenses sub an. DCCCXXXVI. *Carolus per Autulfum Senescallum missis exercitu Britones domuit.* Sic & Vita Caroli M. apud Adhemarum, & Sigebertus: qui Autulfus in continuat. Aimoini lib. IV. c. LXXVIII. *regia mensa prepositus* dicitur, eundemque Regino Prumiensis *principem coquorum* vocat: quo etiam officio functos sub tertia regum familia ex vetustiss. vernaculis carminibus obseruat Falcetus Origin. lib. I c. X. vt & plures extitisse, maiorem vero *dapiferum* tunc dictum etiam vexillum regium in acie detulisse. Robertus Monachus S. Remigij Rhemensis Histor. lib. IV. *Ipsa die Podiensis episcopus perdidit dapiferum suum, qui suae aciei deferre solebat vexillum.* Inter primas certè regni dignitates hanc fuisse declarant regum tertiæ familiæ diplomata, quæ quidem à dapifero cum quatuor aliis familiæ regiæ præcipuis ministris subscribi consueuerant. Ludouici VI. R. diploma donationis ad S. Dionysium. *Præsentibus ex Palatio nostro, quorum nomina subtitulata sunt & signa, S. Ancelli tunc temporis dapiferi nostri, S. Giliberti buticularij, S. Hugonis Constabularij, S. Vuidonis Camerarij, Stephanus Cancellarius relegendo subscripsit.* Anno MCXII. Innumera eiusmodi litterarum exempla passim reperiuntur, adeo vt vacante dapiferi seu Senescalli officio, subscriberetur in litteris *dapifero nullo.*

Guilelm. Tyrius Hist. belli sacri lib. iv. cap. v. *Alexius megadomestici dignitate (quem nos maiorem senescallum appellare consuevimus) fungeretur officio, ab imperatore secundus. Itaque non malè eos in Maiorum domus locum successisse obseruatum est, nam maioratum & senescalciam Hugo de Cleriis vocat. Quod munus præclare describit Hincmarus ex Adhalaro ep. iii. c. xxiii. Quæ videlicet cura, quamquam ad Buticulariũ vel ad Comitum stabuli pertineret, maxima tamẽ cura ad Senescallum respiciebat, eo quod omnia cetera, præter potus, vel victus caballorum ad eundem senescallum respicerent. Eius quoque iura ab Hugone de Cleriis traduntur, qui Ludouico VI. R. vixit, & post Godfridum Abatem Vindocinensem à doctissimo Iac. Sirmondo editus est. Hunc nos hodie Magnum Magistrum Franciæ dicimus, de quo plura apud Tillium & Falsetum.*

CUBICULARIIS ] Gregor. Turon. lib. vii. c. xxi. *Eberulfum cubicularium Chilperici R. refert à Fredegunda accusatum, quod is principem occidisset, thesaurosque expilasset: vnde etiam apparet, thesaurorum curam ad cubicularium pertinuisse. Idem lib. x. cap. x. Chundonem Guntchanni R. cubicularium nominat. Plures fuisse ex hac formula & aliis locis manifestum est. Vnus vero cæteris præpositus fuit, de quo etiam superscripti loci Gregorij Turonensis accipiendi sunt. Eius officium latè ab Hincmaro exponitur ep. iii. c. xxii. (Camerariũ enim cum cubiculario eundem facio) De honestate vero palatii, seu specialiter ornamento regali, necnon & de donis annuis militum, absque cibo & potu vel equis,*

ad Reginam præcipuè & sub ipsa ad Camerarium pertinebat, &c. Videndi Tillius, & Falsetus Origin. lib. i. cap. xi. Porro hos omnes proceres & regis familiæ ministros regis quoque iudicij participes fuisse probat Lex Ribuar. tit. xc. *inbe- mus ut optimates, maiores domus, domestici, comites, grafones, cancellarij, vel quibuslibet gradibus sublimati in prouincia Ribuar. in iudicio residentes munera ad iudicium peruertendum non recipiant: quod si quis in hoc deprehensus fuerit, de vita componat.* Quod antè constituerat Gundebaldus R. in præfat. Legum Burgundionum.

COMITE PALATII] Hoc officio functos reperio Tradulfum & Romulfum apud Greg. Turon. lib. ix. c. xii. & cap. xxx. Aigulfum sub Chlodoueo Dagoberti F. R. in diplomate eiusdem regis, Andobellum sub Chlotario eius filio: sub Carolo M. Anselmum, Vvoradum, sub Ludouico Reginarium, Adhalardum, Bertricum, & sub Carolo Caluo Fulconem, Bernardum & alios. In quo versaretur horum officium plenè tradit Hincmar. ep. iiii. c. xxi. in finiendis scilicet controuersis quæ ad palatium deferebantur, & ut si quid in legib. emendandum esset principi exponeret, & accepto responso emendaret, idemque cap. xix. Comitem Palatii Archicapellano seu Apocrisario confert: *præcipuè, inquit, duo, id est, Apocrisarius, qui vocatur apud nos Capellanus, vel Palatii custos, de omnibus negotiis ecclesiasticis, vel ministris ecclesie, & Comes Palatii de omnibus secularibus causis vel iudiciis suscipiendi curam instanter habebant: ut nec ecclesiastici, nec seculares prius domnum Regem absque eorum con-*

*sultu inquietare necesse haberent, quousque illi præi-  
 derent, sine necessitas esset, ut causa ante Regem merito  
 venire deberet, &c. Non tamen omnium causa-  
 rum notionem ad illos spectasse certum est, sed  
 tantum de pauperum & minus potentium cau-  
 sis. Capitul. lib. III. cap. LXXVII. Neque ullus Comes  
 Palatii nostri potentiorum causas sine nostrâ iussione si-  
 nire præsumat, sed tantum ad pauperum & minus po-  
 tentium iustitias faciendas sibi sciat esse vacandum.  
 Vice tamen regia sedisse & de maioribus etiam  
 negotiis seu regum mandato, seu officij præro-  
 gatiua cognouisse, & ex hac formula & Chlo-  
 tario R. iudicio, quod supra exscripsimus palam  
 est. Decreta nomine regio inscripta contine-  
 bant, Regem ex relatione Comitis Palatii iudi-  
 casse, aut ab illo & proceribus iam iudicata fir-  
 masse. Itaque magna eius Comitis dignitas,  
 magna potestas. Sangallensis lib. II. c. IX. videntes  
 Comitem Palatii in medio procerum concionantem, im-  
 peratorem suspicati, terratenus sunt prostrati. Quem  
 magistratum in Germanico imperio longo tẽ-  
 pore durasse, multaque alia præclara ex iure Sa-  
 xonico notat P. Pithæus, nunquam sine laude  
 nominandus, Comit. Camp. lib. I. Ex diploma-  
 tibus & veteribus instrumentis breuiter & eru-  
 ditè horum officium descripsit Io. Auentinus  
 Annal. lib. IV. cuius verba lubet adscribere: *Is  
 vicem Caesaris præsidendo senatui principali defunge-  
 batur, fidem imperatoris implorantibus aderat, inque  
 recedebat, fiscum Augusti, prædia Salica, redditus re-  
 gios procurabat, Casareum censum exigebat, nihil contra  
 eius auctoritatem Duci aut decernere, aut statuere lice-  
 bat, &c. Ex quibus quam dissimile sit Senescalli**

seu Magni magistri officium, quod plerique hodie confundunt, vel cæco perspicuum est. Illud addam, plures aliquando fuisse Palatij Comites, non in Germanico imperio tantū, quod Auentinus & Pithæus tetigerunt, sed & in prima & secunda Francorum regum familia. Pipini Maioris domus de rebus S. Dionysij extat iudicium in tabulario eiusdem monasterij, vbi hæc verba reperias, *vbicumque eorum iustitiam inuenimus, sicut proceres nostri, seu Comites Palatij nostri, vel reliqui legis doctores iudicauerunt.* In Tradition. Fuldens. lib. I. vno eodemque tempore, sub Ludouico imp. anno DCCCXXXVIII. atque etiam in eodem iudicio duo referuntur Comites Palatij *presentibus &c. Popone Comite, Gebavino Comite Palatij, Ruadharto similiter Comite Palatij, Hattone Comite, &c.* Capitul. lib. III. c. LXXVII. *vt nullus Comes Palatij, &c.*

INDICVLVS COMMONITORIVS ] CAP. XXVI.  
Regiæ sunt litteræ, quibus episcopus ante regem in ius vocatur.

POST VOS RETINEATIS ] nostris veteribus scriptoribus *retinere soj*, penes se.

LEGIBVS REVESTIRE FACIATIS ] id est eius rei quam abstulisti possessionem ei restituas, iterumque eum vestias secundum formam legis qua ipse viuit. Vestiedi verbum hoc sæculo frequens. Leg. Baiuuar. tit. XVII. cap. III. *mei antecessores tenuerunt, & mihi in alodem reliquerunt, & vestita est illius manu cui tradidi.* Pipini Maioris domus iudicium de rebus S. Dionysij, *vel casa S. Dionysij exinde vestita fuerat, vel à bonis & Deum*

timentibus hominibus data vel collata fuerunt, & ipsa  
 casa legitime & rationabiliter per legem exinde vestita  
 fuerat. Capitul. lib. iv. ca. xix. fideiussores vestitura,  
 & c. xlii. vestitura domni Karoli, cap. xlv. nostra ve-  
 stitura. Synodus Leptinensis an. dccxliii. eccle-  
 sia cum propria pecunia reuestita sit. In Traditioni-  
 bus Fuldensibus sæpissime vestitionis & vestitura  
 testes. In Appendice Frodoardi vestitus.

C A P.  
 xxviii.

CHARTA AUDIENTIALIS ] Regia  
 quoq; est epistola, qua ad Comitem scribit vt  
 quendam, qui eius iurisdictioni suppositus est,  
 iudicium accipere & iudicatum facere cogat,  
 aut si nolit fideiussorẽ det ad regis iudicium si-  
 stendi causa. Inde dictam *audientialem* puto,  
 quod per eam quis ad principis audientiam  
 vocetur. Vt enim Iurisconsulti *ius* pro loco di-  
 cunt, sic *audientiam* tum illi appellabant. Greg.  
 Turon. lib. vii. cap. vlt. Synodi Meldensis cap.  
 Lxxvii.

PAGENSIS VESTER ] Pagi appellatio  
 latè patet. neque enim vicus tãtum hoc nomi-  
 ne dicitur, sed & prouincia, aut saltem non exi-  
 gua pars prouinciæ. Sic Plinio lib. iv. cap. xvii.  
*Gessoriacus pagus* non pro vico accipitur, sed pro  
 magno agri tractu & ciuitatis vnus territorio.  
 Sic & septem Heluetiorum pagi apud Cæsarem  
 quod Gallica lingua retinuit, solita tamen mu-  
 tatione g in y: *pais* namque dicimus, vt Ios. Sca-  
 liger Phœnix ille litterarum obseruat. Greg.  
 Turon. lib. ix. c. ix. *quicquid de pago Stampensi vel*  
*Carnoteno.* Fredegarius in Appendice Gregor. si-  
 quidem illius est, cap. Lvii. *concessisse pagum The-*  
*losanum, Chatorcinum, Aganensem, Petrocoricum, &*

*Santonicum.* Vnde pagenses dicti, qui eiusdem pagi sunt. Pagis autem vt plurimum præerant Comites, itaque qui eorum ditioni subditi erant pagenses dicebantur. Gregor. Turon. lib. viii. ca. xviii. *Vintrio dux à pagensibus suis depulsus ducatu caruit.* Præceptum Dagoberti de mercato S. Dionysij, Saxones & Vngarij & Rothomenses & ceteri pagenses de alijs ciuitatibus. Capitul. lib. iii. c. lxxiii. *vasallos suos casatos secum non retineat, sed cum Comite cuius pagenses sunt ire permittat.* Eod. lib. c. xliiii. & lib. iv. cap. xix.

PER FORTIAM TVLISSET ] hoc est, per vim abstulisset. Vnde nostris *par force*, Leg. Ribuarior. tit. xi. 4. *Si quis regio aut ecclesiastico homini de quacumque libet re fortiam fecerit, & per vim tulerit, in triplum componat.* Leg. Baiuuarior. tit. i. c. v. *per fortiam hostilem aliquid prædare.* In lege Salica tit. xiv. 13. *per virtutem.* Formul. Incert. auct. cap. xxxiii.

TVLISSET ] i. vi abstulisset. Leg. Ribuar. tit. xi. Leg. Sal. tit. xiv. *vetustis Francis tollit: & inde male tolte.* Sic infra *tutis fideiussoribus*, pro ablatis & acceptis.

ILLE REX VIR INLUSTER ] In antiquis CAP. XXIX. regum nostrorum præceptis & constitutionibus nil frequentius, vt *Childebertus vir inluster* in Decreto post Legem Salicam, Chlotarius, Dagobertus, Pipinus, Carolus & alij in tabulario S. Dionysij, & cæterorum cænobiorum archiuis. Sic Ennodius Ticinensis lib. iv. epist. x. ad Trasimundum Vandalorum regem scribens, *Viro inlustri* epistolam inscribit, vt ibi doctiss. Sirmondus notat. Hoc enim titulo nullus

maior in Romano imperio. Tanti enim erat apud exterarum gentes illius imperij admiratio, ut cæteri reges eius dignitatibus & honoribus insigniri cuperent & honestari: ut de patricij & Cos. nomine & insignibus, quæ Chlodoueus R. ab Anastasio imp. recepit, Gregor. Turon. lib. II. c. XXXVIII.

ADSALLISSETIS ET GRAVITER LIVORASSETIS] Adfallire heic est adoriri, appetere, impetum facere, aggredi: unde nostris *assailir*. Liurare est vulnerare, & contundere, liuoresque efficere. Leg. Salicæ tit. XLIV. *Si quis collecto contubernio hominem ingenuum in domo sua adfallierit. Formular. Romanar. ca. xxx. ipsum adfalliuit, vel ei insidiavit, & res suas ei contradixit, atque violenter super ipsum euaginato gladio venit: unde liuores & capulatura, atque colapbi manifesti apparent. & cap. xxxi. me malo ordine assalliuit, vel liuravit.*

RAVPA SVA IN SOLIDOS TANTOS] pro rauba. i. veste. Leg. Alaman. tit. XLIX. *quicquid super eum rauba vel arma tulit, omnia sicut furtina componat, quod postea per vestimenta explicatur, De fœmna, si ita contigerit dupliciter componat, vestimenta autem quæ super eam tulit, velut furtina componat. Var. Formul. cap. VIII. Rauba autem ut & vestis appellatio latè pro omni suppellectile & vestimentis accipitur, inde desrober.*

CAP.  
XXX.

COMMVTATIO CVM REGE] Hoc capite multa reperias, quæ inscriptioni non conueniunt. Est enim eiusmodi, *ille Rex, illi Regi: sed postea inter regem & illustrem virum aliquid conuentum fuisse narratur: tum mentio fit eius*

quod rex in animæ remedium dederit, quæ verba ad ecclesiam, aut monasterium pertinere dubium non est. Tantum dicam eo animo scriptam fuisse videri, vt pluribus commutationis negotiis inseruiret: vt planum sit clausulam aliquam aut quædam verba deesse. Cōmutationum autem plures infra formulæ extant lib. II. cap. XXIII. & XXIV. Incert. Auct. cap. XVII. Leg. Rom. c. XXVI. Variar. c. XIV.

LOCULLVM] Eodem exemplo infra lib. II. c. I. facultaticula Synodi Agathensis c. VII. *castella, mancipiola*, Synodi Aurelianensis IV. c. XIX. *terrula, vineola.*

CVM COLONICIS ILLIS] Colonica est villa seu villula, cū modo agri quantum Colonus vnus colere potest, nec admodū à manso distat, adeo vt mansus & colonica aliquando promiscuè dicantur. Synodi Valentiniæ sub Lothario imp. cap. IX. *seculares & fideles laici, si condere voluerint basilicas in prædiis suis, sicut editum piissimorum Augustorum continet, vnā Colonicam vestitam cum tribus mancipiis donationis (al. dotis) gratia eis conferant.* Edictum illud extat Capitul. lib. I. c. XCI. & in Vita Ludeuici Pij, & Aimoin. continuat. lib. V. c. X. Synodi Meldensis c. LXIII. vbi tamen vnus mansus integer vbique dicitur, quem *Colonicam vnā* hæc synodus vocat. Quod ipsum ibidem & in cæteris conciliis & capitulis *dos ecclesie* dicitur. Synodi Coloniens. c. IV. c. I. De censib. Burchardus lib. III. c. LII. Itaque mansus & colonica non semper certam quātitatem, sed modo maiorē, modo minorem agri modum continebant, quemadmodū hodie

videmus in illis possessionibus quas *fermes & mestairies* dicimus. Aliquando etiam sub manso colonicam comprehensam reperi. Chron. S. Benigni circa an. MVII. *Fœmina quædam nobilis Aremburgis dicta, mater Leibaldi Matiscenensis episcopi, cum eodem filio suo dedit sancto Benigno in villa Lu vocata septem mansa, cum sylua ibi adiacente, & seruis qui de prædictis mansis septem colonicas tenebant.* In summa plerumque Colonica, Mansus, Villa, & in Germanicis scriptis diplomatibus & instrumentis Hoba & Hobunna pro eodem accipi debent. Tradition. Fuldens. lib. II. *duas Hobas seruales, item vnam Hobam cum omnibus ad eam pertinentibus, eod. lib. trado seruum vnum cum sua Hoba.* Colonia quoque pro Colonica vsurpatur: Flodoard. Hist. Rhem. lib. IX. c. XIX. de Ebone præfule, *Colonias nonnullas ecclesie, descripsit per strenuos viros colonis, eorumque seruitiis ordinavit.* Hincmar. De Villa Nouiliaco, *quasi de fisco regis quasdam colonias de ipsa villa obrinuit in proprietatem.* Carolus Caluus an. regni XVIII. Indict. VI. (apud Cochlæum in Histor. Niuernens.) *dedit ecclesie Maniacensi mansos XV. & colonias VI.* In Tradition. Fuldensib. lib. I. Vuilibaldus episcopus cœnobio Fuldensi, *in supradicto loco nonem trado colonias (hoc sunt Hobunna) integras cum omnibus adiacentiis & finibus suis, in arualis, in terris arduris, in syluis, in campis, in pratis, in pascuis, aquis, aquarumque decursibus, adificiis, molinariis, mancipiis cum omni suppellectili eorum, ex quibus etiam liquet, quid coloniarum, seu colonicarum nomine veteres intellexerint.*

NOS PRO ANIMÆ NOSTRÆ REME-  
DIO

DIO IBI DEDIMVS ] Satis apertè declarant hæc verba, ad commutationem cum ecclesia aut monasterio factam hanc clausulam pertinere. Porro commutationes de rebus ecclesiasticis, vt & cæteræ omnes alienationes, synodis & constitutionibus prohibitas fuisse constat. Synodi Meldensis c. xxiii. Synodi Valentinae sub Lothario imp. cap. xxi. Benedictus Leuita Capitul. lib. v. c. xlvii. Burchardus Decret. lib. iii. c. clxiv. & seqq. Tamen specialiter principi in Synodo Siluanectensi concessum est vt commutationes cum ecclesia facere possit. *Si princeps voluerit rem immobilem sanctis locis præstare, & accipere ab eis aliam immobilem rem, & eo modo permutationem contrahere, liceat hoc facere ei diuina pragmatica sanctione ab eo promulgata.* Quæ verba Iuliani antecessoris sunt Nouellarum interpretis cap. xxxiii. ex Nouel. vii. Aliis vero absq; regis licentia nõ licebat: Burchardus lib. iii. c. clxxii. *Ne commutationes rerum vel mancipiorum ecclesiasticorum qualibet persona sine licentia & consensu regio præsumat facere.* Ideoque Flodoardus Hist. Rhemenf. lib. ii. c. xix. Ebonem antistitem imperialia super eisdem commutationibus præcepta obtinuisse refert. Et Tradition. Fuldenf. lib. ii. *Conuentione inter se de concambio facta rogatu antedicti Comitum cum scientia & licentia gloriosissimi Francorum regis Ludouici, &c.*

SI ALIQUIS CONTRA REGIS VOLUNTATEM EGERIT ] Hac formula princeps securitatem tribuit ei qui iussu eius aliquem sibi aduersarium aut infidelem occidit, vel expulit, resq; illius in fiscum redegit, quem

CAP.  
xxxii.

ab omni iniuria tutum & innoxium esse iubet, vetatque ne propinquis & amicis illius eo nomine aut armis, aut iudicio eū persequi liceat. Extat de ea re caput legis Baiuua tit. ii. c. viii. Si quis hominem per iussione[m] regis vel ducis sui, qui illam prouinciam in potestate habet, occiderit, non requiratur ei, nec faldosus sit, quia iussio domini sui fuit, & non potuit contradicere iussione[m], sed dux defendat eū & filios eius. Id ipsum statuitur Capitul. lib. v. c. ccxv. Si quis iussione regis vel ducis illius, qui ipsam prouinciam regit hominem occiderit, non requiratur ei: nec propterea faldosus sit, quia lex & iussio dominica occidit eum, & non potuit contradicere. Princeps vero & successores eius defendant eum, & totam progeniem eius, ne ob hoc pereat, aut malum patiatur. Quod si propterea ipse, aut eius progenies aliquid mali passi fuerint, aut occisi, dupliciter componantur.

CVM RELIQUIS PARIBVS SVIS] Pa-  
res sunt socij & æquales. Sic supra cap. xii. qui  
pari suo ex ipsis in hoc seculo superstes extiterit. Leg.  
Ribuar. tit. li. qui parem suum superuixerit. Leg.  
Alaman. tit. xlv. Si qua rixa orta fuerit, & c. illi pa-  
res sequuntur eum vsque in domum suam cum armis.  
Capitul. lib. iii. cap. lxxi. Quicumque & c. parem  
suum contra hostes communes in exercitu pergentem  
dimiserit, & cum eo stare noluerit, honorem suum &  
beneficium perdat, & cap. lxxii. Capitula Caroli  
Calui ad Aquitanos an. dccclvi. si talis est can-  
sa, vt illum inde familiariter non debeat admonere, an-  
te suos pares illum in rectam rationem mittat & ille  
iustum iudicium iusticie sustineat: Quod iudicium  
sociorum Burchardus in lege Familix vocat.

*Si quis (inquit) ex aliquo commissio in manus episcopi cum iudicio sociorum suorum peruenerit, ipse cum omnibus possessionibus suis eo diudicetur. Sic in libris Feudorum passim pares curia seu curtis dicuntur qui ab eodem domino feuda tenent, quasi pares inter se. Friderici imp. constitutio apud Radeuicum lib. iv. c. vii. Si inter dominum & vassallum lis oriatur, per pares curia à domino sub debito fidelitatis coniuratos terminetur.*

FACIENTEM REVELLO ] Ita Ms. Legendum vero *rebellem*; nam de eo loquitur qui principi rebellis & infidelis existit.

PRO TALI REVELLO IN VITA ORDINAVERAMVS EVM INSEQVI ] Leg. Ribuar. tit. lxxi. *Si quis homo regi infidelis extiterit, de vita componat, & omnes res eius fisco censeantur.* Annales Fuldenses ad ann. dcccclxi. *Ludovicus Ernustum summam inter omnes optimates suos quasi infidelitatis reum publicis priuauit honoribus.*

CALVMNIAM ] id est actionem: plura ad Formulas Legis Romanæ.

PRÆCEPTVM QVORVM AB HOSTIBVS VEL ALIO MODO PVERINT INSTRVMENTA INCENSA ] Certi iuris est instrumentis igne, vel naufragio consumptis, hostium incurfu vel alio casu perditis, nullum ex ea re domino præiudicium fieri, modo tamen de eius dominio, debito aut alio iure sufficiens sit alia probatio. L. Sicut, cum seqq. Cod. De fide. instrument. Adeo vt quibus casibus per testes probatio iure non admitteretur, tamen instrumenti amissio, &

eius tenor per testes probari possit. L. Testium facilitatem in fi. C. De testib. Quoties autem casus aliquis eiusmodi contigit, ne postea difficili probatione ius domini deterius constitutur, receptum fuit litteras à principe impetrare, quibus causa cognita, & re probata ex relatione incolarum, cauetur ne amissio ei noceat, sed res quas possidet, securè in posterum sicut antea semper possideat. Sicque eiusmodi litteræ sunt ei omnium instrumentorum instar. Itaque etiam his litteris singillatim res singulas & possessiones omnes recensere moris erat. Appellatur à Flodoardo *præcepta de chartis combustis* Hist. Rhemens. lib. II. cap. XVII. de Tilpino episcopo, qui à Carlomanno R. plura priuilegia obtinuit. Item *de chartis concrematis*, quarum tunc temporis per negligentiam acciderat exustio, ut res & facultates ecclesie, quas eo tempore possidebat, ita permanerent absque diminutione confirmatæ ipsi ecclesie per regiam eius auctoritatem. Extant & alia eiusdem rei formulæ inter Formul. incert. auct. cap. XLVI. ubi id ex Romanis moribus descendere dicitur, & Formul. Leg. Rom. cap. XXVII. & XXVIII. A Comite quoque impetrari solitas probat formula XLVI. Incert. auct. Eodem ferè pertinent litteræ, quas hodie *lettres en forme de terrier* appellamus.

REGIO MVNERE ] Vide quæ suprâ ad c. III. notata sunt.

ALODE ] s. cap. XII. ubi nos plura.

RELATIONEM BONORVM HOMINVM ] ut amissio instrumentorum probaretur, & præterea ut illi adsererent quid his chartis

comprehensum esset, & quæ bona ille tum possideret. Eius formula seq. cap. exhibetur.

ILLE REX ILLI PATRITIO ] Patritios CAP.  
olim dictos qui maiorum gentium senatores xxxv.  
essent, nemo nescit. Patritiatus demum dignitas sub imperatoribus summa, & omnium honorum apex, quos quasi patres principis Iustinianus ipse agnoscit. §. Filiusfamilias Institut. Quib. mod. ius pat. potestat. solu. l. vlt. De consulib. lib. xii. Cod. & Nouel. lxxxvi. Formula patritiatus extat apud Cassiodor. lib. vi. cap. ii. quem vnitantum cedere fulgori ait, consulatui scilicet, solamque cæterarum dignitatum successoris ambitionem non timere. quam tamen dignitatum maximam nihil iurisdictionis habuisse ibidem testatur. Patritios quidem legationes obiisse, exercitibus præfectos, summam rerum aliquando tenuisse legimus. Quo exemplo fuerunt sub primis Francorum regibus etiã Patritij summæ dignitatis. Itaque Galliarum patritios memorat Synodus Arausicana, à Cæsario Arelatensi contra Faustum Rhegiensem habita: vt & Gregorij magni PP. registrum, vbi Arigium & Asclipiodotum & alios sub Francorum regibus eo munere functos videre est. Ex Gregorio Turon. multis locis liquet sub Guntchranno R. patricios fuisse, qui Rhodano finitimas prouincias regerent, & exercitus ducerent, eamque dignitatem *patriciatus honorem & patriciatus culmen* vocat: qua donatos fuisse Agræculam, Celsum, Pericium, & Mummolium refert lib. iv. c. xxiv. & xlii. Quod etiam ex Appendice Fredegarij apparet, vbi Ultra-

Iuranis Patricios datos Ægilanem, Quolenum, Protadium, Vulfum, Richomerem, Vuillibaldum, illosque exercitibus præfectos fuisse tradit. Inter Duces certè numerari clarè eiusdem Appendicis Auctor innuit cap. LXXVIII. *Dagobertus de vniuerso regno Burgundia exercitum promouere iubet, statuens eis caput exercitus nomine Chadoinum referendarium &c. qui cum decem Ducibus cum exercitibus, id est Amalgario, Aremberto, Leudeberto, &c. Vuilibaldo patricio ex genere Burgundionum, exceptis Comitibus plurimis qui Ducem super se non habebant, in Vasconia cum exercitu perrexisset, &c. &c. xc. Vuillibaldum ex patriciatu sui termino plurimam secum adduxisse multitudinem pontificum & nobilium. Ex quibus manifestum est Patriciis exercitus regendos, prouincias administrandas datas fuisse: in summa cum Ducibus eodem munere functos. Ideoque Marculfus supra cap. VIII. eadem formula Duces Comites & Patricios à principe institui docet. Sic & Carolus M. Patricium fuisse Romanorum, iisque hoc nomine imperasse, infinita diplomata & historici testantur. Patriciorum quoque dignitatem ab Anglis vsurpatam reperio apud Alcuinum ep. II. quæ ad Æthelredum regem & Osbaldum Patricium scripta est: cuius etiam Patricij meminit Rogerius Houedenus Annal. par. I. sub ann. DCCXCVI.*

ADTRACTVM] id est acquisitum & comparatum. Passim his Formulis & in veteribus instrumentis.

SVB NOSTRO SERMONE] hoc est sub nostra defensione, tuitione & mundeburde.

Supra cap. xxiv. Leg. Salicæ tit. LIX. *tunc rex ad quem manitus est extra sermonem suum ponet eum.*

UT CAUSAS AVCTORVM ADSV-  
MENDI SVORVM ALIQVIS LICEN-  
TIAM HABEAT. ] CAP. XXXVI.  
] Vt quis iure auctoris sui  
vti possit, ius commune id præstare videtur,  
adeo quidem vt ius superueniens auctori meo,  
ius quoque meum confirmet L. Si à Titio De  
Rei vindicat. Tamen id confirmandi, & tol-  
lendæ dubitationis causa, litteras quoque prin-  
cipis impetratas fuisse docet hæc formula: qui-  
bus à principe episcopo vel abati conceditur,  
siue etiam alteri, qui res ab aliis emerant, quo-  
rum auctores sine heredibus decesserant, vt  
auctorum suorum defensionibus vti, imò &  
easdem instituere actiones & exercere pos-  
sent.

INFRA REGNV M VESTRVM ] Leg.  
*nostrum.*

PER QVODLIBET INGENIVM ] id est  
quacumque occasione, aut artificio. Gregor.  
Turonens. lib. vi. cap. xxii. *Proclamante epi-  
scopo & dicente, quod sepius hic ingenia quareret  
qualiter cum ab episcopatu deiceret.* Capitul. lib.  
ii. cap. xxxi. *aliorum suasionibus aut petitioni-  
bus, vel aliquo ingenio.* Sic & malum ingenium  
in Leg. Sal. tit. xxxvi. 4. & Capitul. lib. ii. c.  
xxxii. *nullus omnino sub mala occasione, vel malo  
ingenio res pauperum, vel minus potentum nec eme-  
re, nec vi tollere audeat: olim apud nos par mal  
engin.*

HOMALLANDI] siue obmallandi. i. agendi, iudicio experiundi, & alterum in ius vocandi, vt dictum est cap. xxxvi.

SVPER ANNIS CONTRA QVEMCVMQVE SANCIENTI] Hæc videntur esse corrupta. Verum commodè referri possunt ad continuationem possessionis, hoc est vt tempora possessionis auctorum cum eorum possessione continuentur & coniungantur: quod etiam ad vsucapionem Iustinianus extendit. §. Diutina Instit. De Vsucapion. l. i. Cod. De vsucapione transform.

CAP.  
xxxvii.

IVDICIVM EVINDITALE] hoc est declaratorium, quo rex notum & evidens facit quendam in palatio die dicta iudicio stitisse, adversarium vero vadimonium deseruisse. Ideoque Comiti mandat, vt contra absentem qui per triduum expectatus non venit sententiam proferat secundum consuetudinem loci, eundemque ad parendum compellat. Eiusdem argumenti formulæ extant in Formul. Incerti Auctor. cap. xxxviii. & Formul. Leg. Rom. ca. xxxiii. quæ proximè huic capiti accedunt. Quibus iungi debet notitia de iactiuis cap. xxii. Incert. Auct.

ADSALLISSET] Adfallire, aggredi, impetere, adoriri, qua de re supra, vt & de Liuvrandi quod sequitur vocabulo.

RAVPA SVA] i. vestem, seu in vniuersum aliam supellectilem. Formula cautionis de infracturis, quæ vltima inter Varias est, & exinde *annonam vel aliam raupam in solidos tantos furavi.* Sed de his supra.

IN SOLIDOS TANTOS ] id est, quæ tot solidis æstimabatur.

CAVSANTES ] aliàs *placitantes*, nobis *plaidans*. Formul. Leg. Rom. c. xxxiii. *rationantes*.

A QVO PLACITO VENIENS ] Mallem ad quod *placitum*. Placitum vero generaliter pro die dicta vsurpabant, in qua quid agendum gerendumve esset, quod scilicet sic inter partes pactum conuentum fuisset. Sic conuentus regios in quibus de summa regni tractabatur placita dixerunt, quæ post *parlamenta* dicta. Greg. Turon. lib. vii. c. xiii. & xiv. & aliàs passim. Sic & *placitum legatis dare* ait Greg. Turon. lib. vi. c. xxxiv. pro legatos audire & absolueret. Vnde placitum pro iudicio sumptum, Synodi Turonensis iii. cap. xxxv. *pro quolibet placito vel iudicio à qualibet persona munera exigere*. Synodi Arelatensis sub Carolo M. c. xvi. *Ne in dominicis diebus publica mercata, neque causationes disceptationesq. exercentur*. Synodi Turon. iii. c. xxxix. *placita secularia*. Sic *placitum Comitis*, & *placitum centenarij* in Capitul. lib. iii. nostris *plaidis*. Gregor. Turon. lib. vii. cap. xxiii. *placitum in regis Childeberti presentia posuerunt*.

PER TRIDVVM SEV AMPLIVS VT LEX HABVIT PLACITVM SVVM CVSTODISSET ] Sic c. xxxviii. Formul. Incert. auctor. & Leg. Roman. cap. xxxiii. ex quo discimus non vno tantum die, sed triduo aduersariũ expectari debuisse. Gregor. Turon. lib. vii. cap. xxiii. *Iniuriosus ad placitum in conspectu regis Childeberti aduenit, & per triduum vsque occasum solis obseruauit. Sed cum hi non venissent, neque de causa hac*

ab ullo interpellatus fuisset, ad propria rediit. Iunge  
Leg. Sal. tit. LIX.

ABIECTVS SIT ] hoc est vadimonium  
deseruerit, & defecerit, à deiecti & deiiciendi  
vocabulo. Formul. Incert. Auct. cap. XXII. pla-  
citum suum exinde neglexit, & iactius inde reman-  
sit. Cautio de infracturis Variar. cap. vlt. & si  
exinde negligens & iactius apparuerit. Leg. Salicæ  
tit. LII. 3. quem legitimè habeo adiacuum vel admal-  
latum secundum legem Salicam. quo loci videndus  
Fr. Pithœus.

SOLSATISSIT ] id est solem ei occasum  
fuisse, ante solis occasum iudicio non stitisse,  
Nam post solem occasum nemo se iudicio si-  
stere poterat. Gregor. Turon. lib. VII. ca. XXIII.  
per triduum vsque occasum solis expectauit. Sic Leg.  
Salicæ tit. LII. solem collocare & per singulas admo-  
nitiones vel solem culcatum terni solidi accrescant. Sic  
olim apud Romanos in legibus Duodecim  
Tabularum solis occasu diei suprema tempestas est,  
apud Varronem lib. VI. De lingua Latina. Hunc  
vero morem solis occasum opperiundi apud  
Francos multis sæculis durasse, probat veteres  
Duelli formulæ, quas doctiss. Io. Sauro edi-  
dit, in quibus ante solis occasum aduersarium  
vincere necesse erat, aut id nominatim exci-  
piendo sibi cauere. De ciuilibus quoque nego-  
tiis illud ipsum Philippus de Beaumanoir te-  
statur, qui sub Philippo III. R. Claromonten-  
sis Comitatus in Bellouacis Leges patria lin-  
gua scripsit, cuius verba sunt hæc cap. II.  
ex codice optimi doctissimique viri Ant. Oi-

*felli se li aiornemens est fais à releuée ou as vespres, l'heure de la presentatiō dure iusques à Soleil esconsant, & qui de Soleil luisant se presente il ne puet estre en defaute du iour.*

NULLA SONNIA NVNTIASSET] Sonnia est impedimentum, excusatio: Sunnis in Leg. Sal. tit. i. Leg. Ribuar. tit. xxxiv. Capitul. lib. iiii. cap. xlv. Ecfonia in Formul. Leg. Rom. cap. xxxiiii. nobis *Exoine* de quibus integro capite agit Philippus de Beaumanoir quem modo laudavi, cap. iiii. *Des Effoines & contremans*. Veteribus quibusdam monimentis *soine*. Non placet hanc vocem deducere ex alia barbarica voce *Exidoniare*, vt quidam scripsere: Nam hæc duo vocabula toto cælo inter se distant, qua de re aliâs. Malletm à morbo suntico, sunnis originem petere.

COMES PALATII NOSTRI TESTIMONIAVIT] Sic infra capite proximo: & in iudicio Chlotarij R. quod supra exscripsimus: quæ verba Comitem Palatij cum proceribus vice regia cognouisse manifestè ostendunt: nomine tamen regio iudicia inscripta erant, quod & hodie in Senatusconsultis fieri solet.

COMPONERE ET SATISFACERE NON RECuset] Itaque hoc iure qui defecerat & vadimonium deseruerat causa cadebat. Quod etiam Lege Duodecim Tabularum cautū fuit, *presenti litem addicito* apud Gellium lib. xvii. cap. ii. verum postea id mutatum. Vlpianus in l. Et post edictum lxxii.

De iudiciis pronuntiabitur non utique secundum presentem, sed interdum vel absens si bonam causam habuerit, vincet. Franci tamen perpetuò obseruarent vt absens causa caderet, nisi iustam absentia causam nuntiasset. Consuetudines Regulæ à Ricardo Abate Floriacensi constitutæ consilio Vicecomitum & Baronum terræ Anno DCCCCLXXVII. Ille qui die assignata vsque ad horam septimam coram priore non comparuerit, tanquam conuictus iudicabitur. Illud quoque passim occurrit in veteribus amplissimi Senatus Parisiësis monumentis. Donec constitutione Francisci I. R. statutum est vt absente reo actor tamen necesse habeat legitimè probare iustam actionis causam. Quod antea à iudicibus ecclesiæ, qui lege Romana utebantur, obseruatum: Eleutherius PP. apud Gratianum in can. Caueant iudices III. quæst. I.

CAP.  
XXXVIII

CHARTA PARICLA] *paricla* pro *paricula* scriptum est. Est autem iudicium Comitis Palatii, quo statuit vt quidam qui fugitium seruum recepisse accusabatur certa die iuraret cū sex aliis se non fecisse, & ita crimen obiectum purgaret. Et quia neutra pars victa dici poterat, iubentur ambo eius iudicij similia exempla accipere: ideo *paricula* dicitur *charta* quod eiusdem exempli duæ litigantibus dandæ essent. Sic Variar. Formul. cap. XIV. vnde duas epistolas *pariculas*, vno tenore conscriptas, manu eorum vel bonorum hominum firmatas, inter se fieri & firmare rogauerunt.

ITEM QVE HOMINEM] Videtur aliquid deesse, designatio videlicet quorundam qui eodem crimine accusabantur, quod dictio *item*

demonstrat: deinde quinque denominatos esse dicit, quorum vnus iurare iubetur.

FORTITER VISVS EST DENEGASSE] Gregor. Turon. lib. vii. c. xxiii. *Post hæc in iudicium venit: sed cum fortiter, vt diximus, denegaret, & hi non haberent qualiter eum conuincere possent, iudicatum est vt se infontem redderet sacramento.*

DE QVINQVE DENOMINATIS] ex quinque reis vnus purgari iubetur sacramento, ex quo etiam patet initio capitis quædã deesse.

SVA MANV SEPTIMA] porrectis namque manibus iurabant, tactisque sacrosanctis euangeliiis, aut altari, aut etiam quod frequentissimum erat sanctorum reliquiis. Solebant enim non in ciuilibus tantum & leuiorib. causis, sed & in criminalibus cum nulla probatio suppeteret, iusiurandum decernere vt reus crimen purgaret. Leg. Baiuuar. ca. xii. tit. xv. 2. *Iudex causam suam bene cognoscat, & prius vel tacitus inquirat, vt cum veritas latere non possit, nec facillè ad sacramenta veniatur, paulò post, Nulli liceat periurare, sed sicut iudicatum est cogatur exsolui. In his vero causis sacramenta præstentur in quibus nullam probationem discussio iudicantis inuenerit.* Gregor. Turon. lib. vii. c. xxiii. Formul. Incert. Auctor. ca. ii. iii. v. *In legib. Frisionum non iuret, sed componat ac si ipse eum occidisset.* Leg. Angl. tit. ix. *si negat cum vndecim iuret, aut campo decernat.* Denique nil frequentius in his legibus. Vvillelmi Normanni Angliæ R. leges apud Houedenū, *Si Anglicus appellauerit Francigenam, & eum approbare voluerit iudicio aut duello, volo tamen Francigenã purgari sacramento, non ferro.* Verum non vni tan-

tum reo deferebatur iusiurandum, sed & alios tres, quinque, duodecim, aut amplius prout indicatum fuerat necesse habebat adducere, qui scilicet idem quod ipse iurarent: qui *iuratores & coniuratores* in Lege Salica dicuntur tit. l. lv. lxi. Capitul. lib. iii. c. ix. vt *sacramentales & sacramentales* passim his legibus. Auctor Vita S. Eligij Nouiomensis lib. ii. c. li. apud Surium, *lata sententia est vt vir ille cum multis alijs iuraret, sic enim apud Francos in more positum est, verum Abas omnibus alijs remisit iuramentum, ne alterius flagiti implicarentur. Solus ille agri vsurpator procerum sententia iurare iussus est.* Leg. Baiuuar. cap. xii. tit. ii. *3. cum duodecim sacramentalibus iuret de lue sua, vel duo campiones propter hoc pugnent.* Gregor. Turon. lib. viii. c. ix. *Fredegundis regina, coniunctis prioribus regni sui, id est tribus episcopis & trecentis viris optimis, sacramenta dederunt hunc à Chilperico rege generatum fuisse: & sic suspicio ab animis regis ablata est.* Idem lib. viii. c. xl. *de Pelagio quodam qui res S. Martini abstulerat, ille electis duodecim viris vt hoc scelus peieraret aduenit.* Capitul. lib. i. cap. lxxiii. lib. iii. c. ix. & x. lib. v. c. cci. & ccx. Theganus Treuirensis Chorepiscopus De gestis Ludeunici c. xxix. de Paschalis PP. purgatione: inde frequentissimè *manu quinta, manu sexta, septima, duodecima*, in veterib. legibus, Capitulis, epistolis Romanorum pontificum, & in libris Feudorum. Quæ demum purgatio canonica dicta est, quod ea tantum purgationis species ab ecclesia probaretur: cæteris duelli, ferri candidentis, crucis, aquæ calidæ, panis hordeacei damnatis. Ea de re tituli sunt lib. v. Decreta-

liū De purgationē canonica, & De purgatione vulgari. Iurisiurandi forma refertur Leg. Alaman. tit. vi. solum videlicet reum conceptis verbis iurare, ceteros vero iuratores hoc tantum, credere illum vera iurasse. Innocentius III. PP. in cap. De testibus De purgatione canonica, *illi qui ad purgandam alicuius infamiam inducuntur, id solum tenentur iuramento firmare, quod veritatem credunt eum dicere qui purgatur.* Ex consuetudine tamen iurandi periuria adeo inuauerant, vt iurisiurandi probatio à plerisque reprobaretur, & Burchardus Vuormatiensis episcopus in Lege Familiæ duellum eius loco suffecerit.

SUPER CAPELLAM DOMNI MARTINI VBI RELIQUA SACRAMENTA PERCVRRVNT ] hoc est super reliquias S. Martini, quæ in Palatio asseruabantur, quibus etiam tactis Palatinæ causæ iureiurando finiebantur. Solenne fuit iusiurandum publicè in ecclesiis, aut martyrum tumulis & altaribus præstare, aut etiam extra ecclesiam ad motis sanctorum reliquiis. Gregor. Turon. lib. i. v. cap. XLVI. *requirit hominem alium Versum nomine, quem ad altare clam adductum, iurare fecit ac dicere: Per hunc locum sanctum & reliquias martyrum beatorum, &c. lib. v. cap. xxxii. Si, inquit, est innoxia, super tumulum hoc beati Dionysij martyris sacramentis adfirma. Faciam, inquit pater. Tunc inuito placito ad basilicam martyris sancti conueniunt, eleuatisque pater manibus super altarium, iuravit filiam non esse culpabilem.*

lib. viii. c. xvi. de impij cuiusdam voce, qui pe-  
ierare consueuerat, *ibo ad basilicam beati Martini,  
& sacramento me exuens innocens reddar.* Idem de  
Miraculis lib. i. c. xxxiii. *Quidam tempore Felicii  
(Biturigum) episcopi, vicinos suos quodam pro crimi-  
ne imperebat: quos cum plerumque verbis procacibus  
lacefferet, ac iudicio publicè prouocaret, decretum est  
sententia primorum vrbs, vt se ab hac noxa qui impe-  
rebantur, sacramento purgarent. Ingressique in eius me-  
morata adis altare, cum eleuatis manibus sacramenta  
proferrent, &c. Leg. Alaman. tit. vi. sacramenta sic  
fieri debent vt illi iuratores manum suam supra capsam  
ponant. Capitul. lib. i. c. lxxiii. Synodi Meldensis  
c. xxxix. tantum hoc malum est, vt ad sanctuarium mar-  
tyrum, vbi diuersorum aegritudines sanantur, sibi periuri,  
licet manifestè interdum vexari non videantur, iusto  
Dei iudicio à demonibus arripiantur, sicut sanctus di-  
cit Gregorius.*

SVPER CAPELLAM DOMNI MARTI-  
NI ] Capellam pro capsâ dici in qua martyrum  
ossa conderentur, vel hic locus euincit. Nam  
& super capsam iurare Lex Alaman. tit. vi. di-  
cit. Sic etiam accipitur in Formul. Incert. auct.  
cap. iii. Euodius De miraculis S. Stephani lib.  
i. *Capella argentea in qua erat reliquiarum portio. Re-  
liquias igitur S. Martini in palatio asseruatas  
innuit hæc formula, vnde capellæ regię seu sa-  
cello nomen. Sangallensis lib. i. c. iv. De pauperi-  
bus suprascriptis quendam optimum dictatorem & scri-  
ptorem in Capellam suam assumpsit, quo nomine reges  
Francorum propter cappam S. Martini, quam secum ob  
sui tuitionem & hostium oppressionem iugiter ad bella  
portabant, sancta sua appellare solebant. Hodie vero  
capellam*

capellam vocamus quam veteres cellam & sacellum dixerunt.

PERCVRRUNT ] i. fieri & præstari solent, à consuetudine quæ impetu & cursu quodam fertur: S. Augustinus Confession. lib. i. c. xvi. *va tibi flumen mortis humani, quis resistet tibi? quando non siccaberis?*

DE HAC CAUSA DVCTVS SEDEAT ] ductus pro eductus, hoc est extra aleam & periculum positus: non dissimiliter nostris, *se iurer d. ffare.*

CVM LEGIS BENEFICIO ] hoc est pretio compositionis, quæ Lege statuta est. Videantur veteres Leges.

ÆQVALES PRÆCEPTIONES ] eiusdem exempli, inde in titulo *charta paricla seu paricula*, Variar. Formul. c. xiv.

VT PRO NATIVITATE REGIS IN- CAP. GENVI RELAXENTVR ] Regis est episto- xxxix. la, qua Comitibus & Domesticis mandat sibi filium natum. Ideoque iubet vt in vnaquaque fiscali villa tres serui manumittantur, & lætitiæ & eleemosynæ causa. Eo pertinet & illud Gregor. Turon. lib. vi. c. xxiii. *Dehinc Chilperico regi post multa funera filiorum, filius nascitur: ex hoc iubet rex omnes custodias relaxari, vinctos absolui, compositionesque negligentum fisco debitas præceptis omnino nõ exigi.* Illud præterea in hoc lemmate obseruandum, filium regis regem dici, quod tunc vsitatum fuisse ex Greg. Tur. apparet, qui lib. iii. ca. xxii. Theodebertum Theoderici R. filium regem vocat: & lib. iv. c. xiii. *intendebat & ipse rex Chramnus minas*, qui tamen perduellis patre superstite.

Chlotario R. interfectus est. Sic & filia regum regina dicta: Gregor. Turon. lib. x. c. xv. de Chrodiendi Pictauesi moniali, *Nolite super me quæso vim inferre, quæ sum regina filia regis.* Rigordus in Philippi Augusti Vita, regis Lusitaniæ filiam, Flandriæ Comiti nuptam, *Reginam Comitissam* vocat. Nec nouo id exemplo. Seruius in Virgilij Eclog. III. in fi. *Regum autem nomina dixit, non quoniam ipsi reges fuerint, sed quia regum filij: ut, Magnum regina sed enim miseratus amorem, eum de Ariadne diceret, Pasiphaes regina filia.*

ALIORVM DOMESTICORVM SVNT ACTIONIBVS ] actionibus. i. officiis & ministeriis, qua de relatiùs supra cap. xi. de Domesticis vero ad c. vlt. lib. II. dicitur.

CAP.  
XL.

PER VESTRAS EPISTOLAS ] Formula epistolæ manumissionis, quæ iussu regis à Domestico celebratur extat cap. vlt. lib. II.

VT LEVDE SAMIO PROMITTANTVR REGI ] hoc est vt fidelitatis sacramentum regis filio promittatur, quem rex in parte regni sui regem constituit, in Austria aut Neustria fortasse, quod crebrò sub prima regum Francorum familia factitatum. Corrupti vero quid esse in hoc titulo suspicor, aut certè plenius inquirendum censeo. Nam quid *samio* sibi velit, nondum reperi. Fortasse scriptum erat. *Vt leudis sacramentum promittatur regi*: sacramenti vocabulo breuiatim scripto nec postea intellecto.

TAM FRANCOS ROMANOS VEL RELIQUAS NATIONES ] Omnes quippe illi permixti habitabant. Sic supra c. VIII. *omnes pe-*

pñ ibidem commanentes, tam Franci, Romani, Burgundiones vel reliquæ nationes. Romani autem veteres incolæ appellabantur: omnes namque prouinciales Romani imperij, ciues Romani erant post constitutionem Antonini, L. In orbe De statu homin. & inde euerso imperio nomen Romanū retinere, Leg. Salicæ tit. xxxiv. Si Romanus Fræcum ligauerit sine causa. & tit. xliii. 6. Romanus homo conuiua regis. 7. Romanus homo possessor. 8. Romanus tributarius. Greg. Tur. lib. ii. ca. xxxiii. de Gudebaldo R. Burgūdiōib. leges mitiores instituit ne Romanos opprimerent. Leg. Burgund. tit. xi. Cæterum si quis posthac barbarus vel testari uoluerit vel donare, aut Romanam consuetudinem, aut Barbaricam esse seruandam sciat, & passim his Legibus. Cassiodor. lib. vii. cap. iii. necessarium duximus illum &c. ad vos Comitem destinare, qui secundum edicta nostra inter duos Gothos litem debeat amputare: si quod etiam inter Gothum & Romanum natum fuerit fortasse negotium, adhibito sibi prudente Romano, certamen possit æquabili ratione distringere: Inter duos autem Romanos Romani audiant. Vetus Constitutio Chlotarij R. nondum edita, quam eruditissimus Iac. Sirmondus humanitate & liberalitate sua mihi communicauit. Inter Romanos negotia causarum Romanis legibus præcipimus terminari. Sed de his, si Deus dederit, aliâs plura.

BANNIRE ] id est edicto conuocare. Bannum enim edictum est & denunciatio quælibet. Appendix Gregor. Turon. cap. lxxxvii. Iussu Sygoberti omnes Leudes Austrasiorum in exercitu gradiendum banniti sunt. Leg. Ribuar. tit. lxxvii. Si quis legibus in utilitatem regis, siue in hoste, siue in reli-

quam utilitatem bannitus fuerit, & minimè adimple-  
verit, si aegritudo eum non detinuerit, solidis LX. mul-  
tetur. Capitul. lib. III. c. LXIX. quicumque homo no-  
stros habens honores in hostem bannitus fuerit. lib. IV.  
cap. XXV. non manniatur sed per comitem banniat. Hincmar. ep. IV. ca. XV. Synodus Confluentina  
an. DCCCLX. ab hoc die & deinceps de Dei banno &  
nostro bannimus, ut nemo hæc amplius præsumat. Sic  
bannum pro denunciatione & edicto. Capitul.  
lib. III. c. LXVI. & lib. IV. c. XXIV. & LX. Inde etiam  
pœna seu mulcta edicto non obtēperantis ban-  
num dicitur sæpe in capitulis & aliâs. Ut & He-  
ribannum pro mulcta eius qui ad exercitum ire  
neglexit, quod nos *Ariereban* dicimus. Gregor.  
Turon. lib. V. c. XXVI. lib. VII. c. XLII. Capitul. lib.  
III. cap. XIV. & XXXV. Cuius vocis vestigia plura  
apud nos hodie remanent, siquidem & nuptia-  
rum proclamationem *bannos* appellamus.

MISSO NOSTRO ] Legato, qua voce nil  
frequentius.

EX NOSTRO LATERE ] Sic Greg. Tur.  
lib. IV. c. XIII. misit rex *Innacharium* & *Scaptarium*  
primos de latere suo. Vita *Ludeuici Pij*, quæ etiam  
apud *Adhemarum* extat, & *Aimoini* continua-  
tioni subiuncta est lib. V. c. X. Eodem anno genera-  
lem conuentum *Aquisgrani* habuit: & per vniuersas  
regni sui partes fideles ac creditarios à latere suo misit,  
qui equi iuris tenaces existentes peruersa corrigerent,  
omnibusque congruum ius æquo libramine penderent.  
*Sangallensis* lib. II. c. IX. tunc ex latere *Cæsaris* dire-  
cti sunt qui eos honorificè introducerent. Hodie qui-  
dem summi pontificis legatos cardinales legatos  
à latere dicimus.

FIDELITATEM ] Gregor. Turon. lib. vii. c. vii. Priores quoque de regno Chilperici, ut erat Ansoaldus & reliqui, ad filium eius qui erat ut superius diximus quatuor mensium se collegerant, quem Chlotarium vocitauerunt, exigentes sacramenta per ciuitates qua ad Chilpericum prius aspexerant, ut scilicet fideles esse debeant Guntchramno regi ac nepoti suo Chlotario. & cap. xiii. de Gararico duce qui sacramenta de nomine Childeberti susceperat. Appendix Greg. cap. lxxvi. Capitul. lib. iii. c. viii. Ut nulli alieri per sacramentum fidelitas promittatur, nisi nobis & unicuique proprio seniori ad nostram utilitatem & sui senioris, &c. & cap. lxxxviii. Eius porro sacramenti formulam P. Pithæus de litteris optimè meritis edidit, vna cum secundæ regum familiæ historicis.

LEODE ] pro fide accipio. Leudes namque apud Gregorium Turonensem ij dicuntur qui fideles regis sunt, & qui nulli præterquam principi obnoxij sunt, quos sequens ætas barones dixit. Gregor. Turon. lib. ix. c. xx. in pactione regum apud Andelaum, leudes illi qui domno Guntchramno post transitum domni Chlotarij sacramenta præbuerunt. Appendix Gregor. cap. liv. Chlotarius cum proceribus & leudibus Burgundia Trecaſinis coniungitur: & passim. Idem leudes baronum nomine comprehendit, c. xli. Burgundia barones verò tam episcopi, quàm ceteri leudes timentes Brunichildem. Vnde proculdubio feudum leudum siue lehen hodie quoque Germani vocant, quod iam à Cuiacio, initiò Feudorum obseruatum est. Huc referri posset quod nos ligium hominum seu homagium di cimus.

SAMIO] Corruptè vt quidem cenſeo, aut certè plenius inquirendum. Putarem notis ſacramenti vocem heic ſcriptam nec intellectam.

PER LOCA SANCTORVM VEL PIGNORA] Appendix Gregor. c. xc. *hi duo Flaobatus & Vivilbaldus, eo quod multa ad inuicem per loca ſanctorum de amicitia obliganda ſacramenta dederant. De eiufmodi ſacramento proximè ſupra diximus.*

PIGNORA] reliquiæ ſanctorum. Id porro heic obſeruandum in eam rem à rege miſſas, vt ſibi aut filio fidelitatis ſacramētum præſtaretur.

---

## AD LIB. II.

HIVS libri titulus in Ms. ita conceptus erat, INCIPIT SCEDOLA QUALITER CHARTÆ PAGENSES FIANȚ, quod omiſſum nolui. Igitur ſuperiore libro omnium litterarum & negotiorum formulas tradidit Marculſus, quæ regio nomine & in palatio expediri ſolerent. Hic vero chartas pagenses continet, eas videlicet, quæ in vnoquoque comitatu & pago in præſentia Comitum, aut Vicarij, aut Centenarij, aut etiam priuatim peragi poſſent. Nam vt antea diximus ritè & publicè quidpiam perficiendi duo tum legitimi modi: in Palatio ante regem, aut in pago ante Comitem. Pleraq. exiſtunt etiam negotia quæ per epistolam fieri poſſunt, quorum etiam formulæ ſecundo libro comprehenduntur. Ideoq.

magnus Cuiacius qui hoc eodem codice usus fuerat, hanc totius operis diuisionem respiciens hoc titulo sæpe Marculfum laudat, in *Marculfi monachi libro de formulis publicorum priuatorumque negotiorum.* in Pauli sentent lib. iv. tit. vi. etsi non omnia quæ secundo libro traduntur priuata sunt, nam quod ante Comitem peragitur publicum non priuatum est. Vide Capitulum lib. iv. c. xix. xxvi. xxix.

DE MAGNARE QUI VULT XENODO- CAP. I.  
CHIVM AVT MONASTERIVM CON-  
STRVERE] Xenodochij seu hospitalis, aut  
monasterij constructio est & dotatio, à priuato  
quolibet in animæ remedium & peccatorum  
remissionem facta. Omnes quippe donationes,  
fundationes & priuilegia ecclesiis concessa his  
atque adeo superioribus sæculis, hanc remedij  
animæ causam continent. Vt fallatur Falsetus  
qui Antiq. lib. v. c. x. nō ante Dagoberti R. tem-  
pora ecclesiis bona in animæ remedium, aut re-  
missionem peccatorum data existimat, sed tan-  
tum *ad opus, in usum luminum & sarta tecta.* Nam  
vetustissima quæque monumenta etsi pecuniæ  
vel fructuum destinationem contineant, vt in  
sarta tecta, aut in usum luminum sufficerent,  
hanc tamen causam prætendunt, vt ad veniam  
à Deo impetrandam dantibus prosint. Salui-  
anus disertissimus ille Massiliensis presbyter  
integris quatuor libellis Timothei nomine ad  
Ecclesiam Catholicam, diuites omnes vehe-  
mentissimè adhortatur, præcipuè eos quos gra-  
uium delictorum terror exagitat, quosque pec-  
catorum conscientia excruciat, vt peccare &  
LI iiij

labi desinant, tandemque peccata sua misericordiis, largitionibus & eleemosynis redimant. Gregor. Turon. lib. vi. c. xx. de Chrodino quodam qui domos, vineas, argentum ecclesiis distribuens dicebat. *Sint hæc ecclesia data, ut dum de his pauperes reficiuntur, mihi veniam obtineant apud Deum,* & lib. ix. c. XLII. in Radegundis epistola, *quæ alij pro animarum suarum remedio vel sorores ibidem de rebus propriis contulerunt.* Hæc vero formula longam eius argumenti præfationem continet. Qua ratione postea eo vsque progressum est, ut plerique de industria peccarent, quod crederent se donationibus in ecclesiam factis posse crimina quæcumque nullo negotio aboleri: Obeamque causam Synodo Cabilonensi sub Carolo M. reprobata est hæc opinio cap. xxxvi. nimirum aduersus eos qui de industria peccantes per eleemosynas impunitatem sibi promittebant. *Non enim, inquit, idcirco quis peccare debet, ut eleemosynam faciat: sed ideo eleemosynam facere debet quia peccauit.* Eodem pertinet quod tum illo concilio, tum in Capitulis res ecclesie patrimonialia pauperum & prelia peccatorum appellantur.

SEV QUIDAM ] ita emendavi pro *quidem*, ut constaret sensus.

QVOQVE SCELERIBUS ] pro *& sceleribus*.

OPTAT ] huius clausulæ quæ durius conscripta mendis etiam non caret, sententia est. Ille scelerum & flagitiorum conscientia excruciat & Christiano nomine indignus, optat donatione & constructione monasterij, & eleemosynis peccata sua extinguere, quod etiam pas-

sim sacra scriptura spondet: idque adductis rationibus plenius probat, deinde rem ipsam aperit.

COLONICIS] De Colonica dictum est supra lib. I. c. xxx.

REMOTA PONTIFICVM] hæc clausula ad exemptionem ecclesiæ pertinet, ex voto ædificantis vel dotantis, quæ iustissima est causa, qua de re satis ad cap. I. lib. I.

CABALLORVM PRESTVS] prestus, id est præstationes.

PARAVEREDA] de quibus lib. I. cap. XI.

MINVENDI CAVSAM] Causa pro re, vt nostris *chose*. Gregor. Turon. lib. IV. c. XIII. *multæ causa per eum inrationabiliter gerebantur*. Capitul. lib. V. c. CCVIII. *si quis causam alterius tulerit de loco suo*.

INFERAT SOCIETATI QVOQVE ET FISCO] aliâs *socio quoque fisco*: vtrumque retineri potest. In pœnis enim fiscum socium adiungebant, vt infra omnibus penè formulis.

PENITVS NON RESERVARI] Leg. *reservari*.

PROLOGI] Præfationes sunt variæ quæ CAP. II. donationi ad ecclesiam conueniunt, & omnes remissionis peccatorum & animæ remedij causas continent. Cuius exempli pleraque instrumenta donationum videre est in antiquis ecclesiarum monumentis.

COMAM CAPITIS MEI IBIDEM DEPOSVI] Capitul. lib. I. cap. CXLIII. *Vt liber homo qui in monasterio regulari comam deposuerit, & res suas ibidem delegauerit, promissionem factam secun-*

*dum regulam firmiter teneat. In tabulario S. Martini Turonensis. Ego Galfardus S. Martini humillimus Leuita, &c. dono, trado Deo necnon S. Martino, vbi parentes mei me obtulerunt nouo ordine traditionis per capillos capitis mei illic comam relinquens &c. proprium meum qui ex successione parentum meorum mihi obuenit, &c. Dat. x. KL. Iulij, Anno xvii. Regnante domino Karolo Rege.*

CAP.  
III.

PECULIO VTRIVSQUE SEXVS ] Peculij vox variè accipitur. Nam præter notiorè significationem eius quod à patre vel domino filio, aut seruo concessum est, vel quod illi parsimonia & industria quæsierunt, veteres etiam omne patrimonium peculij nomine appellabant, auctore Seruio in Eclog. i. à pecoribus in quibus eorum vniuersa constabat substantia, vnde & pecunia dicta. Vlpianus quoque ea quæ Græci *πυγγοπέπυα* dicunt Gallos *peculium* appellasse testatur. L. ix. §. Dotis, De iure dotiū. Heic vero pro pecudibus *peculium* usurpari manifestum est, idque non abs re, cum & peculij vox à pecudibus deducta sit. Sic infra cap. iv. *peculio vtriusque sexus maiore vel minore.* cap. vii. & aliàs sæpè. Synodi Aurelianensis i. c. xvii. *De his que parochus in terris, vineis, mancipiis, atque peculii quicumque fideles obtulerint, antiquorum canonum statuta seruentur.* Rotharis R. in Legibus Longobardorum tit. cv. 19. *Si quis caballum alienum aut quodlibet peculium credens suum esse priserit.*

EA SCILICET RATIONE ] Precaria est, de qua postea c. v.

NE QVICQVAM AVRI TALIVM VILITATE ] Asterisco hunc locum notavi, quod

eum integra fide curare & restituere non poterim. Sensus tamen hic esse videtur, donatorem velle præsentem donationem insinuari gestis municipalibus: etsi non eius fortassè quantitatis sit quæ insinuationem desideret: nam ducentorum aureorum donationes, non minoris quantitatis, insinuari solitas ante Iustiniani constitutionem notum est.

SI QVIS VERO] Omnibus ferè huius libri formulis pœna adscribitur, si aduersus eas factum commissumue quid fuerit, vt & in Capit. lib. III. ca. xxv. quod tutius est quam ad id quod interest agere, cuius plerumque difficilis probatio, & ad exiguam summam deducitur l. vlt. De prætoris stipulat.

STIPVLATIONE SVBNIXA] fortassè quod stipulatio antè interuenerat, vel etiam huius clausulæ ea mens est, vt perinde firmum id habeatur, atque si in stipulatum deducta res fuisset. Nam stipulatio commune erat omnium obligationum astringendarum vinculum: Paulus Sentent. lib. v. tit. vii. Id porrò ex iure Romano petatum, omnibus formulis etiam inferioris æui adscriptum videre est: cuius loco sæpè in Traditionibus Fuldensibus, *culmo subnixa*: quasi stipulatio à stipula descenderet, quod Isidorus asserit Origin. lib. v. *Stipulatio à stipula. Veteres enim quando sibi aliquid promittebant, stipulam tenentes frangebant, quam iterum iungentes sponsiones suas agnoscebant.* Quamquam credibile sit Isidorum cum hæc scriberet de iure hospitij & tesseræ hospitali cogitasse: aliam certè stipulationis notationem Varro, aliam quoque Iu-

risconsulti tradunt.

CAP.  
IV.

CESSIO] ex causa donationis. Vet. instrumentum donationis tempore Iustini imp. huic cessione atque donationi à me facta in beatissimo atque apostolico viro sacerdote Rauennatis ecclesie ad omnia que superius tenentur adscripta relegi, consensi & subscripsi, & testes vt subscriberent conuocati, stipulantisque vobis, vir beatissime, & actoribus tuis in presentia constitutis, in verbis solennibus spopondi, quæ ideo longius exscripti, quia non longè à nostris formulis absunt.

CAP. V. PRECARIA DE IPSA VILLA DVM VIVIT] Res ecclesie alienari non posse multis Synodorum decretis, pluribus etiam imperatorum regumque constitutionibus sancitum est. Illud tamen receptum, vt petenti ad certum tempus rei ecclesiasticæ vsusfructus non denegetur, si quidem non minus quam alterius tantæ quantitatis quantam acceperat redditus, cum ipsorum prædiorum dominio ecclesie derelinquat, L. Iubemus. §. sanè omnis Cod. De sacrosanctis eccles. Synodi Beluacensis cap. xi. Meldensis c. xxii. Solebant & qui res suas ecclesie dabant, precibus rogare vt sibi quoad vixissent iis vti frui liceret, vt hæc formula ostendit, & supra huius libri cap. i. iii. Incerti Auctor. formul. c. xxvii. Formul. Leg. Rom. cap. vii. Leg. Alaman. tit. ii. *Si quis liber res suas ad ecclesiam Dei dederit, &c. & posthac à pastore ecclesie per beneficium suscepit ad victualem necessitatem conquirendis diebus vite sue, & quod spopondit persoluat ad ecclesiam censum de illa terra, &c. Leg. Baiuu. c. i. tit. i. posthac nullam habeat potestatem exinde quicquam auferre, nec*

ipse, nec posteri eius, nisi defensor ecclesie illius per beneficium prestare voluerit ei. Instrumentum vero seu chartam, quæ eo nomine cõficiebatur, precariam & precatoriam appellabant, quod precib. concessa videretur: Cõcilij Toletani VI. c. v. Si quis clericorum vel aliarũ quarumlibet personarum stipendiũ de reb. cuiusdam ecclesie, episcopi percepit largitate, sub precaria nomine debeat professionem scribere: ut nec per retentionem diuturnam præiudiciũ afferat ecclesie. Synodi Epauensis c. xviii. Rhemẽs. sub Carolo M. ca. xxxv. vnde & ipsum negotij genus precaria dicitur. Quod à precarij contractu apertè deductum est, quamuis diuersa sit vtriusq. negotij natura. Nam ad certum tempus precaria cõstituitur non ad domini nutum, & ut plurimum merces siue census in precaria interuenit, non autem in precario quod gratuitum est. Tãdem omnis concessio vñsfructus rerum ecclesie ad certum tempus precaria dicta est, licet qui petit de suo nihil donauerit. Pipinus R. in Synodo an DCCXLII. ut sub precario & censu aliquam partem ecclesialis pecunie in adiutoriũ exercitus nostri cum indulgẽtia Dei aliquanto tẽpore retineamus, &c. & iterũ si necessitas cogat, aut princeps iubeat, precariũ renouetur & rescribatur nonũ. Capit. li. v. c. iii. ex synodo Leptinẽsi: & lib. vii. c. cii. precipimus ut nullus res ecclesie nisi precario possideat, & postquã ipsa precarie finita fuerint, faciãt potestatiuẽ speculatores ecclesie vtrũ elegerint, aut ut ipsas res recipiant, aut posterus eorũ sub precario & cẽsu habere permittãt. Vide j. c. 39. 40. 41.

SED DVM POSTEA NOSTRA FVIT PETITIO]  
Flodoard. Hist. Rhem. lib. ii. c. i. de Mapinio  
episcopo: Huius quoque temporibus Suanegotiba

regina Rhemensis ecclesie tertiam partem villa Vivisiani per testamenti paginam delegasse reperitur. Quam partem ipse quoque præsul Tendechildi præfata regina filia usufructuario per precariam salvo ecclesie iure concessit. Ita duntaxat ut post eius obitum, absque ullo præiudicio, sicut ab ea meliorata fuisset, ad ditionem Rhemensis reuocaretur ecclesie.

AD BENEFICIUM USUFRUCTUARIO ORDINE] Sic beneficium pro precario accipit Tertullianus Aduersus Hermogenem: *tribus modis aliena sumuntur, iure, beneficio, impetu, id est dominio, precario, vi, dominio non suppetente: ideoque & precarium genus liberalitatis esse Iuriconsulti testantur. L. i. & ii. De precario. Sic & in L. iubemus. §. Sane Cod. De sacrosanctis eccles. ubi hoc negotij genus describitur. Pacta conscribat per quæ & tempus, intra quod hoc præstari placuerit, statuatur, & manifestum sit quod quisque acceperit huiusmodi beneficij gratia. Leg. Alaman. tit. ii. à pastore ecclesie per beneficium suscepit. Leg. Baiuuar. cap. i. tit. i. per beneficium præstare. Constitutio Synodi Pistensis an. dccclxii. de villis B. Dionysij, has villas, cum omnibus quæ per precarias aut beneficia, inde homines retinent, &c. Inde beneficij nomine ea prædia dicta, quæ pro seruitio militari à rege siue etiam ab aliis concedebantur, quæ feuda posteritas dixit: initio namque vita accipientis finiebantur, & ex certis causis reuocari poterat. Capitul. lib. i. c. cxxxii. qui beneficia regalia tam de rebus ecclesiasticis, quam quæ & de reliquis habere videntur, &c. lib. iii. cap. v. xix. xx. lib. iv. c. ix. Carolus Caluus R. in diplomate pro ecclesia Rhemensis apud Flodoardi*

lib. III. c. IV. quicquid exinde nos fidelibus nostris beneficiavimus, praesentialiter restitavimus. Hincmarus De villa Nouilliaco, Carolus dedit villam Nouilliaco in beneficio Ansebero Saxoni, qui nonas ac decimas ad partem Rhemensis ecclesiae usque ad mortem suam persolvit. Synodi Meldensis c. XVIII. ut praecipua illicita iure beneficiario de rebus ecclesiasticis facta à vobis sine dilatione rescindantur, & cap. XX. cap. III. Itaque cum Hadrianus PP. ad Fridericum Aenobarbū scripsisset multa se ei beneficia contulisse, hoc verbo exarsit imperator, quod sic excusat Pontifex apud Radevicum lib. III. c. XXII. Licet enim hoc nomen quod est beneficium, apud quosdam in alia significatione, quam ex impositione habeat, assumatur, tunc tamen in ea significatione accipiendum fuerat, quam nos ipsi posuimus, & quam ex institutione sua noscitur retinere. Hoc enim nomen ex bono & facto est editum, & dicitur beneficium apud nos non feudum, sed bonum factum. Aliquando autem in donationibus ecclesiae factis nominatim causbatur, ne in beneficium praestarentur, cuiusmodi exempla sunt in Traditionibus Fuldensibus lib. I. ut nulli clericorum aut laicorum aliquando res ipsae quas tradidi in beneficium praestentur, sed ad locum quo praefatus martyr corpore quiescit perpetuo deseruiant. lib. II. ut nullius clerici aut laici, aut alterius persona beneficium nunquam fiat, & si unquam factum fiat, nos iure hereditario praedictum locum accipiamus, vel successores nostri accipiant.

PONTIFICIVM NON HABEAMVS ]  
id est potestatem, facultatem, infra cap. VIII. IX.  
& passim his formulis. Gellius lib. I. c. XIII. re semel statuta deliberataque ab eo, cuius negotij id ponti-

*ficiūm* esset. L. I. Cod. Th. De maternis bonis, ita sint in parentum potestate atque dominio, ut fruendi pontificiūm habeant, alienandi eis licentia derogetur. L. III. Cod. Th. De fide catholica, neque his penitus posthac obtinendarum ecclesiarum pontificiūm facultatemque permitto. In veteri instrumento S. Galli Alamannicar. Antiquit. To. II. quo etiam precaria huic formulæ omnino simillima continetur: absque praiudicio S. Galluni ipsam villam tenere & usare facias, & nullum pontificiūm habeas de ipsa villa nec vendere, nec donare, nec alienare, nec minuare, sed in quo possumus semper meliorare faciamus.

PER HANC PRECATURIAM ] precaturia pro precaria. Synodi Epauensis ca. XVIII. Quod clerici etiam sine precatoris, qualibet diuturnitate temporis de ecclesia remuneratione possederunt, in ius proprietatis temporis prescriptione non vocetur. Flodoard. Hist. Rhemenf. lib. II. c. v. ex Synodo Rhemenfi sub Sonnatio episcopo, de his que per precatoriam impetrantur ab ecclesia, ne diuturnitate temporis ab aliquibus in ius proprium vsarpentur, & ecclesie defraudentur.

AC SI SEMPER PER QUINQUENNIVM RENOVATA EVISSET ] infra cap. XXXIX. absque vlla alia renovata, ut mos est in ceteris precaria. Incer. Auctor. cap. XLI. & ut alie precarie de quinquennio in quinquennium renouantur, istam vero non sit necesse renouandi. Id institutum ne longinquitas temporis proprietati obsisteret, ut Toletani concilij VI. verbis vtar. Synodi Beluacensis G. XIII. ut precarie de quinquennio in quinquennium secundum antiquam consuetudinem & auctoritatem renouentur. Meldensis c. XXII. Capitulum Caroli

Caroli Calui c. ix. Burchardus lib. III. c. CLXIX. cap. i. De precariis. Precariarū porro præter has formulas exempla extant in Appendice Flooardi, Adalberonis episcopi tempore: in Veteribus S. Galli instrumentis, quæ Alamannicar. Antiquit. To. II. à Goldasto edita sunt, & in Traditionibus Fuldensibus.

CONTRA HANC EPISTOLAM DO-  
CAP.  
NATIONIS NOSTRÆ ] Nil frequentius VI.  
hoc libro, & in Formulis Leg. Rom. quam per epistolam negotium gerere, atque adeo omnes huius libri formulæ in epistolæ modum conceptæ sunt, vt supra *Domino sancto, &c. infra Dulcissimis filiis, nepotibus &c.* Receptum illud esse sub Romanis imperatoribus probabile est, paulatim recedente solennium verborum vsu, quibus per multas ambages res agebantur. Itaq. & manumissio per epistolam fieri poterat L. Qui absenti xxxviii. De acquirenda vel amitt. possess. §. Multis Instit. de libertin. Cautionū quoque & obligationum per epistolā exempla passim occurrunt. Imo & testamenti loco plerumque epistolæ scribi solitæ, vt de Hilarione B. Hieronymus prodit, earumq; epistolarum infinita exempla Iurisconsulti proferunt, L. Miles lxxv. De Legat. II. L. Alūnæ. §. vl. De adim. leg.

CHARTA DONATIONIS INTER VIRVM ET CAP.  
FOEMINAM ] de eiusmodi donatione lib. I. c. XII. VII.

QVOD PARITER IN CONIVGIO PO-  
SITI LABORAVIMVS ] Leg. Salicæ tit. XLVII. 2. *Si ibi aliquid elaboravit, quia legem noluit audire, amittat.* Leg. Ribuar. tit. xxxix. 2. *Tertiam partem de omni re quam simul conlaborauerint.*

Mm

Tradition. Fuldenf. lib. i. *Notitia traditionis Hrunghoten, qualiter ille pro aeterna retributione elaboratum suum omne tradidit, hoc est, porcos LX. vaccas VI. oves XII. alibi in donatione Benedicti. De elaboratu meo sunt hæc: boues XXXIX. porci LXXII. oves XX. mapas IV. manutergia II. plumacia VI. opertoria II. pallia lineæ VI. puluilli XIV. &c. lib. II. trado omnem laborem meum.*

CAP.  
IX.

CHARTA OBNOXIATIONIS A PATRE IN FILIIS FACTA ] Epistola est qua pater, qui bonorum vxoris suæ præmortuæ vsum fructum à filiis accepit, remunerandi causa illis donat villas quasdam suas, earum tamen vsum fructu retento: atque ita se obnoxium reddit, vt ne illas in posterum alienare aut minuerie possit. Ideoque hæc formula Obnoxio appellatur. Quæ res proximè ad precariam ecclesiæ accedit, de qua infra cap. xxxix. Nam & in fine additur clausula precariis adscribi solita, vt perinde valeat atque si per quinquennium renouata fuisset.

GENITRIX VESTRA ] Leg. *genitrici vestra.*

EVINDICASTIS ] Flodoard. Hist. Rhenens. lib. III. c. x. *res quoque nonnullas, inraque ecclesia, ac mancipia, legibus per aduocatos euindicata recepisse reperitur.*

CAP. X.

EPISTOLA CVM IN LOCO FILIORVM NEPOTES INSTITVNTVR AB AVO ] Epistola est codicillorum loco, qua auus nepotes ex filia præmortua ad successionem vocat. Ex quo non dubium est, in lemmate legi debere *in loco filiarum non filiorum.* Similis est &

alia inter Formul. Leg. Rom. c. xxii. verum ad legem Romanam ea pertinet, hæc autem quæ indistinctè concepta est, ad Legem Salicam, vt opinor, referenda: etsi de Lege Romana potest etiam accipi: qua de re ad Leg. Roman. Formulas.

D V L C I S S I M I S N E P O T I B V S M E I S ]  
Sic in L. Lucius Titius lxxxviii. §. Quæ marito. De Legatis ii. L. Titia xxxiv. §. i. De Legatis ii. & passim: proprium illud liberorum epitheton. *Dulces natos* dixit Virgil. *Æn. iv. Dulces liberos* Horatius.

P E R L E G E M ] Salicam scilicet. Illa etenim tit. lxxii proximiores tantum admittit, & nepotes omnes repellit. Quod Childeberti R. Constitutione innouatum est, vt nepotes ex filio vel ex filia ad auaticas res cum auunculis vel amitis sic venirent, tanquam si pater aut mater vni fuissent. Potest & de Lege Romana accipi, quæ ante Iustinianum ab intestato tertiam partem auaticæ successionis nepotib ex filia detrahebat, L. iv. Cod. Th De legitimis hereditat. vt opus fuerit hac epistola in vice codicillorum, ne vllam deminutionem paterentur.

Q V A N D O E A M N V P T A M T R A D I D I ]  
hoc est vt dotem matris conferant, si ad eius successionem accedere velint. L. v. Cod. Th. De Legitimis heredit. *Vt mixtis matrum suarum dotibus, aut hereditatem pro rata parte, quam lex diuuls censuit cum auunculis partiantur.* Ibid. Anianus *quicquid filia accepit tempore nuptiarum.*

D E P R Æ S I D I O N O S T R O ] supra lib. i. c. xii. cum terris &c. seu præsidus domus eorum, hoc

M m ij

libro c. vii. terris, villabus, domibus cum omni præsidio, etiam peculium, præsidium utriusque generis & sexus. Gregor. Turon. lib. vi. c. iv. invenerunt in domos Lupi, & direpto omni præsidio, fingentes se illud in thesauro regis recondere suis cum domibus intulerunt. lib. ix. cap. xix. in pactione regum apud Andelaum. Si quid de agris fiscalibus, vel speciebus atque præsidio pro arbitrio sui voluntate facere, aut cuiquam conferre voluerit, in perpetuo auxiliante domino conservetur. Ex quibus locis coniiicio præsidij nomine pecuniam numeratam, aurum, argentum & alia id genus intelligi. Nam & Celsus in L. Si chorus lxxix. §. i. De Legatis iii. ait Proculum referre audisse se rusticos senes ita dicentes, pecuniam sine peculio fragilem esse: peculium appellantes quod præsidij causa seponeretur. Cui convenit quod ait Constantinus imp. in pecunia veteres robur omne patrimoniorum posuisse. L. xxii. Cod. De administrat. tutor. In Formulis vero Incerti auctoris præsidij nomine pecudum greges, & bouum armenta significari videntur cap. xlvii. etiam peculium, præsidium utriusque generis & sexus.

CAP. XI CHARTA QUI SVO NEPOTE ALIQUID MELIORARE VOLVERIT] Nolui quid immutare, nam sæculi & auctoris vitium esse videtur. Est autem formula donationis, qua pater nepoti ex filio aliquid donat, ut præcipuum illud habeat, sitque melior eius nepotis conditio, quam cæterorum.

ABSQUE CONSORTIO FRATRUM TVORVM] In donatione Haganonis ad S. Martinum anno V. HLudouici imp. Fridegise

*Abati trado mansum nostrum dominicatum quem extra consortium fratrum in hereditate habemus in pago Blesensi.*

VEL FILIIS MEIS] Leg. filiorum meorum. CAP.

UT FILIA CVM FRATRIBVS IN PATERNA SVCCEDAT ALODE] Lege Salica, Ribuarica & aliis, filia in alode seu terra paterna non succedebat. Hac vero formula patrem ad successionem suam potuisse eam reuocare, & veluti heredem cum fratribus instituere manifestum est. Quæ formula apud Cuiacium Obseruat. viii. edita extat.

INTER NOS CONSVETVDO TENETVR] Consuetudinem vocat Leges Salicas, Ribuaricas & similes: meritò, cum multo ante vsu receptæ quam in scriptis redactæ sint. Sic autem Leg. Salicæ tit. LXII. *De terra vero Salica nulla in mulieris hereditate transeat portio, sed virilis sexus totam terram proprietatis suæ possideant, quæ diuersa ab editis, ex Ms. Reg. exscripsi. Leg. Ribuar. tit. LVIII. sed dum virilis sexus exiterit, femina in hereditatem auaticam non succedat. Leg. Saxon. c. xxxix. Pater aut mater defuncti, filius non filia hereditatem relinquunt. Leg. Anglionum tit. vii. hereditatem defuncti filius non filia suscipiat: si filium non habuit qui defunctus est, ad filiam pecunia & mancipia, terra vero ad proximum paternæ generationis consanguineum pertineat. quod & olim Armeniis placuisse, & à Iustiniano imp. sublatum docet Nou. XXI.*

TERRA PATERNA] Alode, Leg. Ribuar. tit. LVIII. terra auatica, in leg. Saxon. & Anglion.

M m iij

*hereditas. Vide supra ad c. XII. lib. I.*

CAP.  
XIII.

SI QVIS EXTRANEVM HOMINEM  
IN LOCO FILIORVM ADOPTAVERIT]  
Adoptio est, quæ tamen propriam legem con-  
tinet. Fit enim ab eo qui rebus suis superesse nõ  
potest, ideoque statim bonorum suorum pos-  
sessionem in adoptatum transfert, ea conditio-  
nè vt victum & vestitum quamdiu vixerit ei  
suppeditet.

PACTVM INTER PARENTES DE  
EORVM HEREDITATE ] Diuisio paterna  
hereditatis inter fratres, vt & Formul. Incert.  
auct. c. xxxix. Leg. Rom. xxv. Parentes autem  
heic & alibi non rarò dicuntur non propriè &  
ex vsu veterum, sed in ea significatione quam  
vulgo hodie retinemus, pro quibuscumque  
proximis vel consanguinitate iunctis. Gregor.  
Turon. lib. v. c. v. *cuius parentes condolentes propin-*  
*qui exitum &c. lib. vi. c. xxxvi. coniuncti parentes*  
*grauissimis clericum tormentis subdentes interimere*  
*voluerunt.* Qua voce etiam vsos antiquiores,  
Spartianum & Lampridium cum aliis plerif-  
que, doctiss. Casaubonus ad Marci imp. Vitam  
notat.

NON A IVDICIARIA POTESTATE  
COACTI ] fratres quippe communem here-  
ditatem consensu diidentes pietatis officio  
funguntur, inquit Papinianus in l. vlt. Familie  
erciscundæ.

SCRIPTVRARVM SERIE ALLIGA-  
RI ] In charta absolutionis Henrici II. Angliæ  
R. apud Houedenum Annal. part. post. *Ne in*  
*dubium veniant que geruntur, & vsus habet & com.*

munis consideratio utilitatis exposcit, vt scripturarum serie debeant annotari.

LIBELLVS DOTIS ] quo pater sponsi, CAP. sponsæ dotem constituit. Nam apud Germani- xv. cas illas gentes, vt Tacitus scribit dotem non vxor marito, sed maritus vxori offert. Leg. Burgundionum tit. XLII. & tit LXII. mulier si ad alias nuptias transerit, omnia perdat, dote tamen sua, quam à marito suo acceperat, quandiu vixerit vtatur, filio proprietate seruata. Leg. Ribuar. tit. xxxix. De dotibus mulierum. Si quis mulierem desponsauerit, quicquid ei per tabularum seu chartarum instrumenta conscripserit, perpetualiter inconnulsu permaneat. Quibus verbis libellus dotis designatur, cuius specimē hoc capite extat. Leg. Saxon. tit. vii. & viii. in Tilliana editione c. XLV. & XLVI. Leg. Alamann. tit. LVI. Sic dotem accipit Gregor. Turon. lib. vi. c. xviii. vbi legatos refert in Hispaniam à Chilperico R. missos ad inspiciendam dotem, quæ eius filix constitui deberet: & in pactione regum apud Andelaum lib. ix. de ciuitatibus quas Galesuindam germanam donna Brunichildis tam in dote quam in morghangeba hoc est matutinali dono in Franciam venientem certum est adquisisse, &c. Sic in Synodo Triburiensi sub Arnulpho R. c. xxv. dotare, vbi de Franco qui vxorem è Saxonia duxit, nec eam lege Francorum desponsauit vel dotauit. In charta libertatum Ioannis Angliæ regis: Assignetur vidua pro dote sua tertia pars totius terra mariti sui, quæ sua fuit in vita, nisi de minori dotata sit ad ostium ecclesie. Illud ipsum est quod dotalitium dicitur à Clemente III. PP. in cap. Plerumque De donation. inter. vir. & vxor.

M m iij

& quod nos hodie *doarium* appellamus. Eiusmodi dotis cōstitutio à Vvillmo Siciliae R. in Ioannam Henrici II. Anglię R. filiã facta, extat in Annalib. Rogerij Houedeni. Est & alia libelli dotis formula c. xxxvii. Formular. Incert. Auctor. quibus addere visum est libellum dotis non dissimilē, à doctiss. viro. Ioh. Belio mihi concessum, qui circa annū MXL. conscriptus est.

*Cum Dominus omnipotens & excelsus condidit hominem ad imaginem & similitudinem suam, dixit, Non est bonum esse hominem solum, faciamus ei adiutorium simile sibi. Propterea relinquet homo patrem & matrem, & adhaerebit uxori suę, & erunt duo in carne vna: non tamen duo, sed vna caro. Et quod Deus coniunxit homo non separet. Igitur ego in Dei nomine Adam, dilectissima sponsa mea nomine Hildigardis, dono tibi, donatumque esse volo de rebus meis seu de beneficiis meis quę sra sunt in pago Andecauis in villa quę dicitur Chelzei, & alia villa quę vocatur Nandulia, de ecclesiis, de vineis, de pratis, de censu, de frisingis, de obligis, & de omnibus reddituris, tibi medietatem dabo. Et in alia Comitatu in pago Dunensi in villa quę dicitur Valariis, quę teneo de filiis Alboldi per testimonia Geyle scemra Hugoni, de ipsa villa medietatem. Et super fluvium Lid vnum pharinarium, quę est super quatuor & solidis quinque: & de super via chalceda arpenn. de vineis tres. In burbio S. Valeriani medietatem de mansionibus, & de arcis similiter medietatem. Quod si quis LIBELLVM hunc DOTIS aliquid calumniaverit, auri libras V. coactus exsoluat.*

QVOD BONVM FAVSTVM FELIX  
PROSPERVME EVENIAT ] Hęc à Romanis desumpta sunt, quos boni ominis causa

in plerisque negotiis ita præfari solitos notum est. De relationibus Cofs. Suetonius lib. III. c. XV. **QVOD BONVM FOELIXQVE SIT CAIO CÆSARI.** De nuptiis Iuuenalis.

*signata tabula, dictum Fœliciter.--*

**DE DISPONSANDIS MARITANDISQVE ORDINIBVS]** Hæc non satis conueniunt, quibus tamen rudera & fragmenta quædam inesse vetustissimarum iuris Romani formularum conlicere licet. Videntur enim hæc verba significare, has nuptias ex præscripto Legis Iuliæ De maritandis ordinibus fieri, & procreationis liberorum, quæ causæ, inquit, necessariæ sunt. Veteres namq; Legibus Iuliis, ad nuptias præmiis & pœnis adigebantur.

**PROCREATIONI LIBERORVM]** Vetustissima hæc quoque clausula, tabulis nuptialibus adscribi solita. B. Augustinus De ciuitate Dei lib. XIV. c. XVIII. *Quid concubitus coniugalis, qui secundum matrimonialium præscripta tabularum procreandorum sit causa liberorum?*

**DONATIONISQVE ANIMO]** Separatur heic donatio à dote, etsi ab vna eademq; persona sponso scilicet vel eius patre fiant: *]. similiter & in dotis titulum.* Sic apud Gregor. Turon. lib. IX. c. XIX. *dos & matutinale donum seu morgengaba* discernuntur.

**INTER AVRVM ET ARGENTVM]** inter pro præter, sæpè hoc libro & aliàs passim.

**IN SVA DOMINATIONE REVOCARE]** vt liberam habeat facultatem ea omnia in suam potestatem reuocandi, vel de his pro arbitrio disponendi.

CAP.  
XVI.

SI ALIQUIS PVELLAM INVITAM TRAXERIT] Libellus est dotis, quæ à viro constituitur qui contra voluntatem parentum puellam rapuit, re tandem composita, ideoque epistola compositionalis vocatur. Trahere autem heic & infra ca. xxix. pro rapere accipitur, vt in Leg. Sal. tit. xiv. *Si puer regis vel litus ingenuâ feminam traxerit, de vita componat.* Formul. Leg. Rom. c. xvi.

RAPTO SCELERE MEO CONIVGIO SOCIAVI] Legi possiet *raptam scelere, meo coniugio sociavi*, siue *raptio scelere* quasi per rapinæ scelus: in L. iii. Cod. Theod. De raptu virgin. *coniugium raptus scelere contractum.*

FACIENTE CONTVRNO] Nullus sensus: itaque asterico notauit. Legendum opinor *facto contubernio*, id est copiis contractis, opesociorum & amicorum. Sic Leg. Salicæ tit. xvi. *Si quis villam alienam adsalierit, ipse & omnes qui contubernio fuerint quod in eius contubernio fuissent, & c. & tit. XLIV. Si quis collecto contubernio hominem ingenuum in domo sua adfallerit.*

VITÆ PERICVLVM INCVRRERE DEBVI] Illud est ex Lege Romana, L. ii. Cod. Th. De raptu virg. Lege autem Salica tit. xiv. crimen raptus vt cætera ferè delicta, pecunia tantum æstimatur.

DRAPPOS] vestes, supra lib. i. c. xii.

CAP.  
XVII.

QUALITER IN VNO VOLVINE TESTAMENTVM DVARVM PERSONARVM CONDATVR] Formula est testamenti mutui inter coniuges, quod post Nouellam Theodosij & Valentiniani frequentari cæpit:

antea quippe vix licebat, quia & captatoriae institutionis speciem referre videbatur. Theodof. & Valentinianus Nouellar. lib. II. tit. IV. in vnius chartae volumine supremum votis parib. condidere iudicium, septem testium subscriptionibus roboratum: cui nos aeternam tribui firmitatem legis huius definitione censuimus. Quoniam nec captatorium dici potest, cum duorum fuerit similis affectus, & simplex religio testamenta condentium. quò pertinet L. Captatorias De heredib. instituend. Captatorias, inquit Papinianus, non eas Senatus improbauit quae mutuis affectionibus iudicia prouocarent.

SANA MENTE INTEGROQUE CONSILIO ] Testamentum Gregorij Nazianzeni episcopi ζών η̄ θεοτών, η̄ ῡμεί γνάσει, η̄ ἑρρωμένοις τοῖς λογισμοῖς διεδέμενοι τῆς διαθήκῃς μὲ τούτου.

VT QUOMODO DIES LEGITIMVS ]  
Leg. vt quando.

DIES LEGITIMVS POST TRANSITIVM NOSTRVM ] in Ms. legebatur *legitonos*, cuius loco *legirimus* legendum esse nemo negauerit. Apud Brissonium, qui hanc formulam exscripsit vitiosè exaratū est *dies vltimus*, præter sensum & Ms. fidem. Legitimus autem dies aperiendarum tabularum testamenti fuit post mortem testatoris, intra triduum vel quinque dies. Paul. Sentent. lib. IV. tit. VI. Gregor. Turon. lib. VI. c. XLV. multi meliores natu qui vi compellebantur abire, testamenta candiderunt, resque suas ecclesiis deputantes, atque petentes vt cum in Hispanias puella introisset, statim testamenta illa tanquam sua essent sepulti reserarentur.

RECOGNITIS SIGILLIS VT ROMA

**NÆ LEGIS DECREVIT AVCTORITAS]**  
 Paulus Sentent. lib. IV. tit. VI. *tabule testamenti  
 aperiuntur hoc modo, ut testes, vel maxima pars eorum  
 adhibeantur qui signauerint testamentum: ita ut agni-  
 tis signis rupto lino aperiatur & recitetur, atque in  
 describendi exempli fiat potestas, ac deinde signo pu-  
 blico obfirmatum in archium redigatur: ut si quando  
 exemplum eius interciderit, sit unde peti possit.*

**GESTIS REIPUBLICÆ MVNICIPA-  
 LIBVS]** L. Testamento Cod. De testament.  
 L. in hac Cod. De donation. Eiusque rei for-  
 mula extat j. cap. xxxvii.

**RELIQVI HEREDES EXHEREDES  
 SINT]** Testamentum B. Remigij Rhemenfis  
 episcopi apud Flodoard. Hist. Rhemenf. lib. 6.  
 c. xviii. *Hac ita do, ita lego, ita testor. Cæteri omnes  
 exheredes estote suntote. Testamentum Gregorij  
 Theologi, Nazianzeni: Εὰν οὖν συμῆ με τέλει τοῦ  
 βίου χηρῶσαι, ἔστω μου κληρονόμος Γρηγόριος ὁ διακόν-  
 τος καὶ μονάζων, &c. οἱ δὲ λοιποὶ πάντες ἔστωσαν μου  
 ἀποκληρονόμοι.* Inde inter cæteros exheredare,  
 quod hac verborum formula fieri consueuisse  
 Theophilus auctor est.

**ID VTI FIAT DETVR PRÆSTETVR  
 IMPLEATVR]** Hadoindi Cenomanensis epi-  
 scopi sub Chlodoueo R. Testamentum apud  
 Briffonijum, ita ut vbiicumque aliquid per hoc testa-  
 mentum meum dedero, legauero, darique iussero, id  
 detur, fiat, præstetur fidei tuæ heres mea committo.

**SED DVM IN VILLIS QVIBVS'DAM]**  
 Post varia legata adscripta, coniugi villas qual-  
 dam relinquit, in compensationem earum quas  
 antea aliis legauit, in quibus quod stante con-

ingio adquisitæ essent, vxori tertia pars compe-  
tebat.

TERTIAM HABERE POTVERAT ]  
Gentes illæ quæ ex Germania in Galliis sedes  
posuerunt, vxoribus tertiam partem concede-  
bant rerum quas mariti stante coniugio ad-  
quisierant. Leg. Burgund. tit. XLII. & tit. LXII. *fi-  
lius vnicus defuncto patre tertiam partem facultatis  
matri vtendam relinquat, si tamen maritum alium non  
acceperit. Leg. Ribuar. tit. XXXIX. Si virum superui-  
xerit l. Sol. in dotem recipiat, & tertiam partem de  
omni re quam simul conlaborauerint sibi studeat vindi-  
care. Capitul. lib. IV. c. IX. vbi de collaboratione  
in beneficio seu feudo tantum agitur. Appen-  
dix Greg. Turon. c. LXXXV. Simile quid moribus  
nostris obseruatur, per eam societatem bono-  
rû quæ inter coniuges intercedit. Apud Saxo-  
nes media pars vxori cedebat: Leg. Saxon. tit.  
VII. Apud Baiuuarios cum filiis in portionem  
vocabatur & qualem vnus ex filiis vsufructuaria  
portionem auferbat, Leg. Baiuuar. c. XIV. tit. VII.*

AD VASSOS NOSTROS ] Vassi  
fideles, qui seruitium exhibent, nomen reti-  
nemus, *vassaus*. Leg. Alaman. tit. XXXVI. 4.  
*qualiscumque persona sit, aut vassus Ducis, aut Co-  
mitis, & tit. LXXIX. 3. & Dominus eius XII.  
vassos infra domum habet. Leg. Baiuuar. c. II. tit.  
XV. siue regis vassus siue ducis omnes ad placitum ve-  
niant. Capitul. lib. II. cap. XXIV. vassi & vassalli  
nobis famulantes. lib. III. c. LXIV. & LXXIII. Capi-  
tula episcoporum Rhemenfis & Rhotoma-  
gensis prouinciarum in Carisiacensi palatio ad  
Ludouicû R. an. DCCCXVIII. in comitatû drudorum*

atque vassorum, apud Falsetum Antiquit. lib. ix. c. xv. *Drudi* pro fidelibus à Germanico vocabulo *Drouu* fides.

ET UT HÆC PAGINA HVIVS TESTAMENTI IN DISCEPTATIONEM VENIRE NON POSSIT] Testamentum B. Remigij. Huic autem testamento meo dolus malus abest aberitque. In quo si qua litura vel charaxatura fuerit inuenta, facta est me prasente, dum à me relegitur & emendatur. Bertchranni Cenomanensis episcopi testamentum apud Brissonium, si qua litura, si qua caraxatura, si qua littera adiecta sunt, vel detracta, ego feci fierique iussi, dum meam mihi sapius pralego voluntatem, & omnia per singula recognosco, vel emendo. Clausula testamentis adscribi solita. *Ulpianus* iu L. i. De his quæ in testam. delentur. Et ideo & si nouissimè (vt solet) testamento fuerit adscriptum: **LITVRAS INDVCTIONES SVPER INDVCTIONES IPSE FECI: non videbitur referri ad ea quæ inconsulto contigerunt.**

**CARAXATURÆ**] deletiones, maculæ, inquinamenta ab atramèto, Sic in testamento B. Remigij, & Bertchranni episcopi, locis proximè adductis. *Gregor. Turon.* lib. vii. c. xxxvi. *tunc es pictor ille qui tempore Chlotarij regis per oratoria parietes, atque cameras caraxabas: & lib. ix. c. v. vasa per domos diuersorum, signis nescio quibus caraxata sunt, quæ res nullo vnquam modo aut eradi potuit, aut deleri.*

**SVPERDICTIONES**] superscriptiones, quæ deletis imponi solent. Cæterum heic videtur omissa clausula codicillaris, quam B. Remigius & Hadoindus Cenomanensis episcopus

non omiserunt, id codicillorum vice valere precepi, si inus aliquid videbitur defuisse, qua omiffa testamentum minus perfectum vim codicillorum non habebat. L.I. De iure codicillorum.

ANTE TRIBVNAL CHRISTI PRO VIOLATA DEFVNCTI VOLVNTATE COMPELLATVR SVBIRE NEGOTIVM ]

Gregorij Theologi Testamentum : Ταύτην μὲν πῶν διαθήκην κρείαν ἢ βέλβαιαν εἶναι βύλομαι ἐπὶ πάντη διακρίσειν ἢ πάσης ἐξουσίας. εἰ δὲ ἢ ὡς διαθήκη μὴ ἰσχύσειν, ὡς βέλβησιν αὐτῶν εἰ ἔν κωδὲκελλον αὐτῶν ἰσχύειν βύλομαι. Οἱ δὲ ὀπχειρῶν αὐτῶν ἀνατρέπειν δώσει λόγον ἐν ἡμέρᾳ κρίσεως, ἢ ἔξει τὸν λόγον πρὸς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, ἢ τοῦ ἁγίου ἢ ἁγίου πνεύματος.

PRO HEREDIBVS ] qui loco heredum fuerint, vt pro tutor qui tutor non est, sed tutoris loco.

SECVRITAS PRO HOMICIDIO FACTO ] CAP. XVIII  
 Omnibus Germanicis gentibus, quæ Gallias infederūt, mos erat priuatas inimicitias armis persequi: quæ praua consuetudo adeo inualuit, vt nec principes imperio, nec legum auctoritate per sexcentos fermè annos aboleri potuerit, quinimmo legib. id non omnino prohibebatur, sed tantum nimia licentia certis finibus coercita erat. Itaque qui vnum ex propinquis & omnes aduersos habebat, adeo vt si aliquis occisus aut vulneratus, aut malè multatus ab inimico quodam priuato fuisset, continuò illius propinqui, affines & amici aduolabant suam & suorum iniuriam armis vindicturi. Sed aliquando pace per amicos facta vel etiam in iudicio secundum leges transige-

batur, quo casu securitatis cautiones interponi solitæ, quarum exemplum hoc capite continetur, & in Formul. Incert. Auctor. cap. xxiii. & Formul. Leg. Rom. cap. xxxix. Tacitus de Germanis *suscipere tam inimicitias seu patris, seu propinqui, quam amicitias necesse est.* Exempla passim extant, præcipuè apud Gregorium Turonensem, vt lib. v. c. v. & xxxii. lib. vi. c. xvii. lib. viii. c. xviii. lib. x. cap. xxvii. Præcipuum vero est quod pluribus ab eodem refertur lib. vii. c. xlvi. de Sichario & Austrefigilo, quorum Austrefigilus à Sichario cum quibusdam aliis interfectus, Sicharius à propinquis defuncti petitus, post varia diffidia, discrimina, cædes, ægrè euasit, tandemque compositione facta, intercessione episcopi ipsius Gregorij Turonensis & iudicum, argentum ab ecclesia Turonensi pro Sichario solutum est, & securitas ei ab aduersariis data. *Tunc, inquit, dato ab ecclesia argento, quæ iudicauerant accepta securitate componunt, datis sibi per partes inuicem sacramentis, vt nullo vnquam tempore contra alteram pars altera mussitaret, & sic altercatio terminum fecit.* Qui mos priuatæ vindictæ (quam *faidam* dicebant) reprobatur in Capitul. lib. v. c. clxxx. sed vt facile appareat, pessimam consuetudinem præualuisse, nec potuisse coërceri, nescimus qua peruerxia inuentione à nonnullis usurpatum est, vt hi, qui nullo ministerio publico fulciuntur, propter sua odia & diuersissimas voluntates pessimas, indebitum sibi usurpant in vindicandis proximis, & interficiendis hominibus vindictæ ministerium: & quod rex saltem in vno exercere debuerat, propter terrorem multorum, ipsi

*impudenter in multis perpetrare non metuant propter odium. Quod tandem grauius exarsit extremis secundæ regum familiæ temporibus, & initio tertiæ. Namque & Ius belli priuati factum est, de quo nos fortassè aliquando plura.*

PRO IPSA CAUSA SOLIDOS TANTOS] delicta enim certa pecuniæ summa æstimabantur, vt dictum est ad cap. xviii. lib. i. Gregor. Turon. lib. ix. cap. xix. de Sichario ad Chramnifundum: *magnas mihi debes referre gratias, dulcissime frater, eo quod interfecerim parentes tuos, de quibus accepta compositione aurum argentumque superabundant in domo tua.*

VENDITIO] Formul. Incert. Auctor. cap. CAP. XIV. Leg. Roman. c. v. & viii. XIX.

DVPLAM PECUNIAM QUANTVM AVOBIS ACCEPI] cautio est duplæ euictionis causa, in venditionibus solita interponi, vt & cap. prox.

NEQVE IMAGINARIO IVRE] Imagi- CAP. naria enim venditio nulla est, L. Nuda lv. De xx. contrah. empt.

ME VOBIS VENDIDISSE] Venditorem CAP. Leges suæ rei perpetuò dixisse, non emptorem xxii. notat Cuiacius Obseruat. xxiii. c. xxxi.

NON FVREM, NON FUGITIVVM] Sic in Formul. Leg. Rom. c. ix. In seruorum venditionibus id promitti & præstari solebat. Varro De re rustica lib. ii. c. x. de pastoribus seruis, *in horum emptione solet accedere peculium, aut si excipiet, stipulatio intercedere sanū esse, furtis noxise solutū.* Vlp. in L. Si ita quis xxxi. De euiction. sanū esse, furem non esse, & in l. xxxii. furem non esse, fugitiuum

*non esse, erroneum non esse.* L. IV. L. Quod si nolit  
XXXI. §. I. De adilitio edicto.

NEQVE CADIVVM ] malum, impro-  
bum: idioma Italicum integrum retinet *cassio*.  
Vnde & nostris *chetif*.

PROBOS ATQVE PRÆSENTES ] Sic  
Genes. XXIII. Abraham pro agro quem emebat  
appendit quadringentos siclos argenti *probate*  
& *publica moneta*: quo loci Chaldæus paraphra-  
stes vertit, *argenti quod per mercatores recipiebatur*  
*in vnaquaque provincia*.

CAP.  
XXIII

CONCAMPIVM DE VILLIS ] Con-  
cambium pro permutatione frequentissimè  
apud Marculfum & cæteros formularum au-  
ctores, vnde *concampiare* & *concampiare* apud eos-  
dem pro commutare & permutationem face-  
re. Leg. Sal. tit. XXXIX. Leg. Baiuuar. cap. XV. tit.  
VIII. *commutatio hoc est quod campias, talem qualem*  
*emptio habeat firmitatem*. In libris Feudorum lib.  
I. tit. XXII. *Cambium*, & aliàs sæpè.

CAP.  
XXV.

CAUTIONES DIVERSO MODO FA-  
CTÆ ] Cautionis vocabulum pro repromis-  
sione & chirographo accipitur, etiam sine satisf-  
datione, vt *cautio creditæ pecuniæ* in L. Minor XL.  
De minorib. & in L. Lecta XL. De rebus credi-  
tis, vbi cautionis creditæ pecuniæ formula ex-  
scribitur, cuiusmodi sunt illæ quæ hoc cap. &  
proximis exhibentur: quibus debitor cauet se  
pecuniam à creditore accepisse, eamque certo  
die soluturum spondet, addita dupli pœna si de-  
bitor cessauerit. Quamuis Romano iure pœ-  
nam ultra legitimum modum vsurarum stipu-  
lari non liceret.

KL. ILLIS PROXIMIS ] singulis Kalendis fœnebrem pecuniam veteres locabant, unde & Kalendarium: Martial. lib. viii. *Centum explicetur pagina Kalendarum.* Fœnebris enim pecuniæ ratio menstrua erat. B. Basilius in Psalmum xiv. Homel. ii. de debitore, *φοβείται τὰς μῖνας, ὡς τῶν πατέρων.*

ET QUOMODO ] Leg. *Et quando*: similiter CAP. XXVI. & cap. seq.

ABSQUE VILLO EVACUARIO ] apocha euacuatoria de qua c. xxxv. CAP. XXVII.

QUI SE IN SERVITIO ALTERIUS OBNOXIAT ] Formula est qua is qui supplicio liberatus est, soluta eius nomine ab aliquo pecunia, *statim ingenuitatis suæ obnoxiat*, id est ei qui redemit seipsum subiicit, addicit & in servitutem tradit. Gregor. Turon. lib. vi. cap. xxxvi. *clericum sub precio venundari procurant, ea videlicet ratione, ut aut esset qui redimeret, aut certè morti addiceretur obnoxius.* Cumque hac Aetherio episcopo delata fuissent, misericordia motus datis viginti aureis eum ab imminente exemit interitu. Leg. Baiuuar. c. ii. tit. i. §. Licebat autem unicuique se in servitutem dare ut dicam §. ad Leg. Rom. formulas.

IAM MORTI ADIVDICATVM DE PECVNIA VESTRA REDEMISTIS ] Veteribus quippe Legibus crimina pleraque ita vindicabantur, ut aut reus capite plecteretur, aut pecunia redimeretur. Leg. Salicæ tit. lii. & passim.

CHARTA DE AGNATIONE SI SERVVS INGENVAM TRAHIT ] Hac formula CAP. XXIX. dominus serui qui puellam ingenuam rapuit, so-

pita controuersia, cauet vt qui agnascerentur ex his nuptiis liberi & ingenui permanerent, non serui. Est & alia sub eodem capite formula. Nam si mulier spontè seruo alieno coniuncta sit ex Senatusconsulto Claudiano libertatem amittebat, vt etiam Lege Salica. Heic vero ius illud à domino remittitur, vt qui ex his nascentur liberi sint, nec possit eos vt seruos vindicare, aut manum iniicere.

AGNATIONEM TVAM] quod ex te natum erit: adgnasci pro nasci sæpe apud iurisperitos.

IN MEO INCLINARE POTVERAM  
SERVITIO] mulier quæ se alieno seruo iunxisset S.C. Claudiano libertatem & substantiam amittebat. Tacitus Annal. xii. quod à Vespasiano renouatum diu in vsu remansit, & à Gallis obseruatum hinc apparet: sed in Oriente tandem Iustinianus antiquauit. Id ipsum Lege Salica cauetur tit. xiv. 7. *Si ingenua femina quicumque de illis (seruis) sua voluntate sequuta fuerit, ingenuitatem suam perdat.* Eodem iure Longobardi vsi sunt. Sic & ingenuus qui alienam ancillam vxorem duxisset, seruus efficiebatur, Lege Salica tit. xiv. ii. tit. xxvii. 3. Quibus conueniunt quarundam Galliaë prouinciarum leges, *en form' mariage le pire emporte le bon.*

CAP.  
xxx.

LIBELLVS REPVDII] exemplum est diuortij, consensu coniugum facti, quod aliquando licuit L. Si constante Cod. De repudiis: atque etiam bona gratia matrimonium dissoluitur, inquit Hermogenianus in L. lxii. De donat. inter vir. & vxor. quod legi euangelicæ aduersum conciliorum decretis reprobatur, & à Iustiniano quoque Nou. cxvii. Tamen vsus

eiusmodi diuortij etiam inter Christianos in-  
ualuisse hæc formula ostendit : est & alia adhuc  
eiusdem argumenti Leg. Rom. c. xix.

SIVE AD SERVITIUM DEI IN MONASTERIO ]  
Ex hac causa mutuo consensu olim diuertebāt.  
Nou. cxvii. c. x. & plurib. probatur à Gratiano  
xxxiii. q. v. sed tandem receptū est, vt non aliter  
id ratum esset, nisi vterq. continentiam profite-  
retur. Synodi Rhemenfis c. iiii. Nicolaus PP. ad  
Carolū Regem. Burchardus lib. ix. c. xlvi. cap.  
i. cap. Cum sis De conuersione conjugatorum.

AVT COPULÆ MATRIMONII SOCIARE ] ex hoc  
loco apparet tum in vsu fuisse, vt post diuortiū  
mutuo cōsensu celebratū vir & vxor matrimo-  
niū cū aliis contrahere possent, quæ cōsuetudo  
Christianæ legi cōtraria meritò reprobata est.  
Conciliū Africanū c. lxiii. Burch. li. ix. c. lxxii.  
ex decretis Inno. PP. *De his requisit dilectio tua,  
qui interueniente repudio alius se matrimonio copulaue-  
runt, quos in vtraq; parte adulteros esse manifestum est.*

INCIPIUNT INGENUITATES ] Variæ CAP.  
sunt manumissionis formulæ, per chartam, seu xxxii.  
per epistolam, quas tum *ingenuitates* vocabant,  
vt apud Greg. Tur. lib. viii. c. xli. Synodi Aure-  
lianensis iv. c. ix. *si de seruis ecclesie libertos fecerit  
episcopus in ingenuitate permaneant.* & apud veteres  
sæpissimè. Fortasse quod libertinitatis ab inge-  
nuitate discrimina ab vsu recessissent, & ad solā  
manumittētis domini volūtātē attēderetur, qui  
pro arbitrio libertis leges dicebat, vt nō paucis  
probari posset exēplis. Igitur Marculfi sæculo  
manumissio triplex, vt antea diximus per dena-  
riū ante regē, in ecclesia, & per epistolā priuatā:

de primâ actum est cap. xxii. lib. i. de manumissione in ecclesia est cap. xii. Formul. Leg. Rom. vbi plura. Hoc autem capite chartæ sunt & epistolæ priuatæ quibus libertatem dominus seruo suo concedit. Per epistolam manumissionem olim datam probat L. Qui absenti, De adquir. possess. & Caius lib. i. Institut. seu potius Aniani, aut cuiuspiã alterius epitome. Qui ita manumissi erant *chartularij & tabularij* dicebatur, vt & qui in ecclesia seruitute liberati fuerant, Capitul. lib. vi. c. ccviii. Eiusmodi manumissionũ exempla posterioris quidẽ ætatis, sed quæ his formulis in multis conueniant subiecimus.

*PIISSIMVS dominus noster Iesus Christus salutem humani generis paterno amore desiderauit: inter alia præcepta quæ fidelib. suis dedit, vt æterna vita gaudia possent adipisci, præcepit eis debitores suos à debitis illorum absoluere, quæ ipsi ad summum iudicem suorum commissorum veniam valeant expectare. Tanta igitur auctoritatis præmio compulsi, domineque Ermangardis Comitissæ gratia precibusque animati, nos Canonici S. Laudi hunc fidelem nostrum Radulphum, ecclesiæ nostræ vinculo seruitutis obnoxium, ab omni debito seruilis conditionis pro animabus nostris, Goffridique Comitris excellentissimi, qui potissimus ecclesiæ nostræ fundator & ornator extitit, omniumque benefactorum nostrorum absoluimus, vt deinceps cum omni fructu suo licentia liberali donatus in quamlibet partem mundi eat, nec cuiquam successorum nostrorum eam ab arbitrio suo reuocare liceat. Actum Andegauis in claustro S. Laudi IV. KL. Octobris anno ab incarnatione Domini M.CXII. Indictione V. concurrente epacta I. Luna III. Paschali PP. sedem Apostolicam obtinente, Ludouico in Gallia*

regnante, Fulcone adolescente Consulatum Andegauen-  
som regente, Reginaldo episcopo Andegauensem eccle-  
siam gubernante.

Præsentibus & videntibus istis imposuimus nos Ca-  
nonici S. Landi manus nostras super caput Radulfi, ob  
favorem & confirmationem libertatis, videlicet, Ro-  
dulphus sacerdos, Rothardus sacerdos.

Aliud eiusdem ævi.

Ego Fulco Comes Andeganorum, & mea soror Er-  
mengardis hunc fidelem nostrum Benedictum nobis  
vinculis seruitutis obnoxium, ab omni debito seruilis  
conditionis pro anima patris nostri Fulconis, & pro  
remissione malefactorum nostrorum, absoluius, ut  
deinceps cum omni fructu suo licentia liberali dona-  
tus, in quamlibet mundi partem eat, nec cuiquam suc-  
cessorum nostrorum eum ab arbitrio suo reuocare liceat.

TANQVAM SI AB INGENVIS PA-  
RENTIBVS] his verbis non tantum libertas  
data, sed & iura ingenuitatis cōcessa videntur:  
quod miror, nam à principe more Romano  
impetranda erant: nisi dixeris barbaris vndi-  
que Gallias occupantibus hunc morem ab vsu  
recessisse. Ex quo factum ut id omne ex domi-  
norum arbitrio & beneficio penderet. Et inde  
paulatim manumissio ingenuitas dicta. Nec  
vero ad Nouellam Iustiniani quis referat, per  
quam ingenuitatis iura omnibus libertis dedit:  
cum satis constet ius Iustinianeum tunc Gallis  
ignotum fuisse.

LIBERTINITATIS OBSEQVIVM] ius  
patronatus.

PECULIARI CONCESSO] peculiare pro  
peculio. Burchardus lib. II. c. xxvi. & xxx. Vetus

N n iiii

Libertatis instrumentum sub Henrico I. R. peculiare quod nunc habetis, vel quod deinceps assequi poteritis, sicut vobis placitum fuerit, absque calumnia possideatis, & quietè prout volueritis disponatis. Peculium manumisso inter viuos tacitè datum videbatur, si ademptum non esset. L. Si Sticho l.iii. De peculio. l. i. Cod. De peculio eius qui mer. lib. Heic autem nominatim conceditur, seu dubitationis tollendæ causa, siue quod tum non aliter seruo manumisso peculium compereret, quam si specialiter donatum fuisset: quod facilius crediderim. Burchardus li. ii. c. xxiii. ex concilio quodam Toletano: *De rebus illorum, vel peculiari, qui à dominis propriis libertate donantur, ut ad gradus ecclesiasticos promoueri debeant, statutum est, ut in potestate dominorum consistat, quicquid ante libertatem habuerunt, virum illis concedere voluerint, an sibi retinere.*

[ DEFENSIONEM ECCLESIAE ] Manumissi in ecclesia sub eiusdem ecclesiæ tuitione consistebant, Leg. Ribuar. tit. xl. Denariales qui ante regem liberati fuerant, regem patronum & defensorem habebant. Itaq; si quis eos occidisset, pretium compositionis chartularij quidem ecclesiæ soluendum erat, Denarialis autem regi, iisque rex aut ecclesia si absque liberis decessissent succedebant. At qui per epistolam ita manumittebantur, ut nullum obsequium manumissor retineret, solebant defensionem regis aut ecclesiæ, aut etiam alterius potentis expetere, ut esset qui eorum libertatè tueretur, & ab omni iniuria eos vindicaret. Tandemque constitutum est, ut quibus alius patronus & defensor deesset, horum occisorum

pœna regi solueretur. Capitula Caroli M. Leg. Baiuu. addita. *Qui per chartam ingenuitatis dimissi sunt liberi, ubi nullum patrocinium & defensionem elegerint similiter Regi componantur XL. sol.*

INFERAT TIBI CVM COGENTE FISCO LIB. I.] Capitul. lib. III. c. XXVIII. *Si quis per chartam ingenuitatis à domino legitime libertatem est consecutus, liber permaneat. Si vero aliquis eum iniuste inferuire tentauerit, & ille chartam ingenuitatis suæ ostenderit, & aduersarium iniuste se inferuire velle comprobauerit, ille qui hoc tentauerit multam quæ in charta descripta est soluere cogatur.*

INGENVITAS POST DISCESSVM] Alia manumissionis est epistola, qua post mortem dominus seruum libertate donat. Greg. Tur. lib. IX. c. XXVI. Ingoberga Chariberti R. vidua, subitanea agitudine fatigata, migravit à seculo, multos per chartulas liberos derelinquens.

CAP. XXXIII.

EVACVATORIA] Euacuatoria tum dicebatur apœcha, qua creditor profitebatur sibi solutam fuisse pecuniam: ab euacuanda obligatione, idque cautione amissa. Nam heic apparet cautione reddita euacuatoriã non dari, quasi redditio chirographi satis esset ad solutionem probandam. L. II. De pactis.

CAP. XXXV.

VACVA ET INANIS PERMANEAT] inde Euacuatoria. B. Augustinus De cura pro mortuis, ubi esset recautum, quo illa cautio vacuata fuerat indicauit, qui locus à Cuiacio iam notatus est ad tit. De apochis lib. X. Cod.

SI ALIQUIS SERVO SVO GASINDO SVO ALIQUID CONCEDERE VOLVERIT] Forma heic traditur donationis, qua dominus seruo qui iugiter ei ministrabat,

CAP. XXXVI.

aliquantulum agri concedit ab omnibus colonariis functionibus omninò liberum & immune. *Gasindi* autem nomine vt lib. i. ca. xxxiii. diximus, is seruus significabatur, qui non in agris, sed domi ministrat, quem vet. quædam aliz formulæ & Capitula *ministeriumalem de insus casa* vocant.

**MANSELLVM**] paruum mansum, qua de re ad lib. i. c. xxii.

**PASCVARIVM**] Vectigal ex animalium pastione.

**AGRARIVM**] Vectigal agro impositum, quod in quibusdam Gallix prouinciis nomen retinet *agrier*, seu vulgo *champart*, terrage. Leg. Baituar. cap. i. tit. xiii. *De colonis vel seruis ecclesie qualiter seruiant vel qualia tributa reddant, hoc est agrarium, provideat hoc iudex, secundum quod habet donet, &c.* Heic porro vocula vna reponi debet, quæ in regio exemplari vetustate exesa legi nò potuit, sed ex alio restituimus. Ea est *vel carropera*, quo nomine operæ continentur quæ carris seu plaustris fieri debent. Adnunciatio Caroli R. apud Pistas c. xxix. *Vt illi coloni tã fiscales quam & ecclesiastici, qui sicut in polipticis continetur, & ipsi non denegant, carropera & manopera ex antiqua consuetudine debent, & margilam & alia queque carricare, qua illis non placent renuunt, quoniam adhuc in illis antiquis temporibus forte margila non trahabatur, qua tempore aui ac domni & patris nostri trahi cœpit, & de manopere in scuria battere nolunt, & tamen non denegant quia manoperam debent, quicquid eis carricare precipitur de opera carropera quando illam facere debent, sine vlla differentia carricent, & quicquid eis di*

*opera manopera quando illam facere debent, præcipitur, similiter sine ulla differentia faciant. Apud Ansegi- sum Capitul. lib. I. c. LXXXI. carralia opera.*

RIGA ] tributi & vectigalis species. Vetus Formula *in earatione vt riga exinde in cultura domi- nica arare & recondere faciam, item in earatione vt riga & alios redditus terra persoluam.*

GESTA IUXTA CONSVETVDINEM CAP. XXXVII.  
ROMANORVM QVALITER DONATIO-  
NES VEL TESTAMENTA LEGANTVR ]  
Constantius in L. I. Cod. Th. De sponsalibus testatur, patrem suum nullam voluisse liberali- tatem valere, si actis inserta non esset, hoc est vt Anianus interpretatur nullam donationem de quibuscumque rebus valere posse si gestis non fuerit allegata. L. Data. L. In hac Cod. De donationibus. Itaque testamenta publicari & insinuari necesse erat L. Testamenta Cod. De testamentis. Publicabantur autem testamenta & donationes in vrbe apud Magistrum census, in prouinciis apud prouinciarũ rectores, vel si præstò non fuissent apud Magistratus municipales, aut si ciuitas illa vel oppidum in qua do- natio celebratur non habeat magistratus, apud defensorem plebis L. VIII. Cod. Th. De dona- tionibus. Huius insinuationis & publicationis forma hoc capite continetur. Gesta vero pro publicis actis passim dicuntur in constitutioni- bus imperatorum, & Aniani interpretatione. L. Data. Cod. De donationibus: *gesta confici super rebus etiam alibi collatis vbicumque sufficit, & L. in donationibus xxxi. Cod. eod. gestis alligari. In L. VIII. Cod. Th. De Donationibus gestorũ, inquit*

Honorius *confectionem sue ante traditionem sine post traditionem fieri oportebit, ut instrumentum quo continetur munificentia apud acta publicetur.*

OMNI CURIA ILLIUS CIVITATIS] Notum est Ciuitates sub Romano imperio Curiam seu Senatū, Duumuiros seu magistratus municipales, & Defensores plebis habuisse, oppida autem Defensores tantum. In ciuitatibus; quæ curiam & magistratus habebant publicatio & insinuatio actorum fiebat. Anianus ad L. IV. Cod. Th. De testamētis. *Testamenta omnia, vel reliquas scripturas, apud Censuales in urbe Roma voluit publicari, hoc est, ut in reliquis regionibus apud Curia viros testamenta, vel quacumque scripturae actis firmari solent gestorum alligatione munitur.* Inde sæpissimè in veteribus donationum formulis, *gestis municipalibus alligare.* Formul. Leg. Rom. c. III. Incerti Auctor. c. LIV.

OPTIME DEFENSOR] De defensoribus ciuitatum tituli sunt in utroque Codice, de quibus etiam agitur Nou. xv. Apud eos fiunt insinuationes testamentorum & donationum, testationes, depositiones, qua de causa & archium habent siue scrinium & scriniarium, & exceptores. Alij sunt defensores ecclesiarum siue aduocati, alij quoque defensores illi qui à summis pontificibus ad curanda in prouincijs S. Petri patrimonia seu possessiones delegabatur, quorum officium à Pelagio PP. in epistolis, & in Registro Gregorij latè exponitur.

PATRE IVBEATIS] quæ sequuntur vsque ad verba *prosequere qua optas*, in regio exemplari deerant, sed ex c. LIV. Formul. Incer.

Auct. facilè fuit restituere, quod ex ingenio  
Cuiacius præstiterat ad Pauli Sent. lib. iv. tit. vi.

TEXTVS MANDATI] Mandatum, vt te- CAP.  
stamentum siue donatio apud acta publicetur. XXXVIII

In fine testamenti Hadoindi Cenomanensis  
episcopi, apud Brillonium, subiicitur eiusmodi  
mandatum. *Magnificis in Christo & sanctæ ecclesiæ  
filiis Bodilonno & Audrāno Hadoindus episcopus. Ro-  
go & supplico charitati vestra, vt cum me dominus &  
creator omnium de hoc seculo migrare præceperit, Ce-  
nomannis ciuitatem ire faciatis, & ibi testamentum  
meum cum apertum fuerit vobis prosequentibus, apudq;  
publica, gestis municipalibus faciatis allegare, vt quod  
vnicuique per ipsum testamentum sanctis, ciuibus, vel  
propinquis meis visus sum delegasse, vestra dispensatione  
vnusquisq; iuxta ipsam delegationē percipere valeat, &  
quicquid exinde egerit, gesserit, ratū & firmissimum  
debeat permanere. Quod mādatum manu nostra firma-  
uimus, &c. quæ cū Marculfo omnino cōueniūt.*  
Sic in For. Incer. Auct. c. lv. & Leg. Rom. c. ii.

POST RECITATIONEM MANDATI] Sequitur  
cōtinuatio Gestorum & recitatio Testamenti.

ARCIPIBVS PVBLICIS] archiis, archi-  
uis, scriniis: notum est.

PRÆSTARIA DE RE ECCLESIE AB EPISCOPO CAP.  
FACTA] Precaria proprie dicebatur libellus quo XL.  
quis res ecclesiæ vtendas sibi dari rogabat, qua  
de re huius lib. c. v. Præstaria autem vocabatur  
epistola qua episcopus vel abas re ecclesiæ con-  
cedebat: præstationis charta, Tradit. Buldēs. l. i.  
*et ratione vt per vestrā præstationis chartā ad vitā meā  
illud habere possim, quod alibi sic exprimitur, vt  
quod trado per vestrā præstariā ad vitam meā possideā.*

Hincmarus Ludouico R. apud Flodoard, Hist. Rhemens. lib. III. c. xx. *qualiter sanctus Clodoaldus (villam Dudiciacum) sancto Remigio dedit, & quomodo Carolus Pipini regis filius eandem villam apud Tilpinum archiepiscopum obtinuerit in præstariam.* Idem lib. III. c. xxvi. ex eiusdem Hincmari epistolis Bernardo Comiti Tolosano propinquo suo, pro rebus Rhemensis ecclesie in Aquitania coniacentibus, quas ille in præstariam sibi concedi petebat.

CAP.  
XLII.

INDICVLVS EPISCOPI QVI AD ALIVM IN RESVRRECTIONE DOMINI EVLOGIAS DIRIGIT] Solebant olim episcopi in præcipuis solēnitatibus vt in Paschate aut Natali Domini, litteris coepiscopos, reges & amicos visitare, & eulogias mittere, quo pertinet hoc Marculfi caput cum tribus sequentibus. Eulogia vero benedictio est, atque etiam res quacumque siue panis, seu sal, seu vinum, aut aliud eiusmodi cui benedictio illa accessit eulogia dicitur. Eulogiæ quidem nomine sal, aut panem cathecumenis datum fuisse loco cōmunionis ex Synodo Carthaginensi & B. Augustino notat eruditiss. Fr. Pithæus in Glossat. vnde & loco communionis quæ singulis dominicis diebus fiebat postea receptum est, vt panis benedictus fidelibus non communicantibus daretur. Honorius in Gemma animæ lib. I. cap. LXVII. Eulogiarum autem mittendarum morem antiquissimum esse constat. B. Augustinus ep. xxxiv. *Panis quem misimus, vberior benedictio fiet dilectione accipientis benignitatis vestra.* Paulinus epistola ad Alypium quæ est xxxv. inter epistolas B. Augustini: *hunc panem eulogiam esse*

in facies dignatione sumendi. Gregor. Turon. lib. IV. c. XVI. Chramnus ab basilicas ad antedicto sacerdote susceptus est, ibique comedens panem ad Childericum pertendit. lib. VI. c. V. Chilpericus postulat ut accepta benedictione discedere, &c. hac dicens aquam manibus porrigi iubet, quibus ablutis facta oratione, accepto pane, gratias Deo agentes, & ipsi accepimus & regi porreximus, &c. lib. VIII. cap. II. Surrexi ad occursum eius, & data oratione deprecor, ut in mansione mea eulogias B. Martini dignaretur accipere. Quod ille non respiciens benigno animo ingressus hausto poculo, admonitis nobis, ad conuiuium latus abscessit. Flodoardus Hist. Rhemenf. lib. II. c. XI. de S. Rigoberto episcopo: Hic venerabilis presul Pipinum maiorem domus regie traditur amicissimum habuisse, cui eulogias pro benedictione crebro solebat mittere. Ad eulogias pertinet quod in Vita Ludeuici Pij dicitur Carolum M. filium interrogasse cur rex cum esset, tanta tenuitatis esset in re familiari, ut nec benedictionem quidem nisi ex postulato sibi offerre posset, &c. Sangallensis lib. I. c. XIII. Capitul. lib. VI. c. LXV.

SUPPLICATIO PRO EO QUI IN MONASTERIO CONVERSARE DESIDERAT] Preces sunt seu potius commendatitiae litterae Abati factae, ut in cenobio aliquem qui monachus fieri cupit recipiat. Conuersare enim tum usurpabatur pro monachum fieri. Capitul. lib. I. c. LXIII. in lemmate de conuersione liberi hominis, alibi conuersio morum. Gregor. Turon. lib. IX. c. XXXIII. de Teuthario presbytero qui nuper ex referendario conuersus presbyterij honorem accepit. Quo pertinet titulus De conuersione coniugatorum, apud Gregorium.

CAP.  
XLVIII

CAP.  
XLIX.

INDICVLVS GENERALIS AD OMNES HOMINES] Indiculus pro omni epistola & libello accipitur, vt libro i. diximus. Hic autem qui generalis dicitur epistola est commendatitia episcopi, vt verisimile fit, quæ is qui limina apostolorum peregrinationis causa petit omnibus episcopis commendatur & principibus per quorum ditiones iter facturus est.

NON VT PLERISQVE MOS EST VACANDI CAUSA] Ideo concilio Cabilonensi sub Carolo M. c. XLIV. & XLV. prohibitum est Romam siue Turonum absque licentia episcopi sui adire. *Sunt pauperes, inquit, qui vel ideo id faciunt, vt maiorem habeant materiam mendicandi.* Burchardus lib. XIX.

CAP.  
LII.

QUALITER EX ORDINATIONE REGIS PRO NATIVITATE FILII SVI DOMESTICVS, &c.] Superiore libro formula est mandati regij ad Domesticos & Comites dati quo iubet princeps, vt propter filij natiuitatem in vnaquaque fiscali villa tres serui manumittantur. Hoc autem capite forma proponitur, qua Domesticus, vt regio mandato satisfaciat, seruos fiscales manumittit.

DOMESTICVS] Dignitas fuit non contemnenda, sub prima & secunda regum nostrorum familia. Nam inter præcipuos regni ministros domestici sæpe enumerantur, & in præfatione Leg. Burgundion. *Sciunt itaque Optimates, Comites, Consiliarij, Domestici, & Maiores domus vestre.* & cum munera in iudicio accipere prohibeantur, eos quoque iudicasse dici potest: Sic Leg. Ribuar. tit. xc. *vt Optimates, Maiores domus,*  
Dome-

*Domestici, comites, grafiones, cancellarij, vel quibuslibet gradibus sublimati in provincia Ribuarina in iudicio residentes munera ad iudicium peruertendum non recipiant.* Hos etiam regi iudicanti adfuisse probat Marculfus ipse lib. i. dum inter ministros & officiales qui regi adsiderent Domesticos recenset. Quod autem proprium Domesticorum munus fuerit, nō satis constat. Nec enim iidem sunt, qui aulae Constantinopolitanae Domestici, quos planum est Scholis palatinis & militaribus excubiis praefuisse, de quibus tit. De domesticis & protectoribus in utroque codice. Apud Francos vero expensas regi ad placita proficiscenti suppeditasse & necessaria quaeque praeparasse domesticos ex Gregorio Turonensi apparet. Sic enim ille lib. ix. cap. xxviii. *fuerunt etiam ad hoc placitum multi de regno eius tam Domestici quam Comites ad praeparanda regalis expensae necessaria.* Ex hoc tamen Marculfi loco, nil clarius eorum officio: quippe *Domesticus* dicitur *super villas regis*, ut planum sit Domesticos villis fiscalibus & fundis dominicis praefuisse & omnes redditus curasse.

## AD VETERES FORMVLAS

INCERTI AUCTORIS.

**N**OTITIA DE COLONO EVINDICATO] Exē- CAP. I.  
plum est sententiae inter Aduocatum seu Defensorem ecclesiae, qui vindicat aliquem in colonū fundi ecclesiastici, & ipsum colonū qui assererat se liberum. Sed cū id probare non potuisset, nec die dicta ad sacramentum cum aliis

O o

præstandum adfuisset, conuictus ipse agnouit se colonum. Itaque per Vicarium Comitis Aduocato redditus est. Qua de re conficitur instrumentum, vt omnibus id notum fiat. Vnde & Notitia appellatur.

ADVOCATVS SANCTI ILLIVS] Defensor siue protector ecclesiæ, aut monasterij qui res & iura eius tam in iudicio quam extra iudicium tuetur & actiones exercet, *Ex dno. Nā ex Synodo Carthaginensi cap. LXXV. inducta est aduocatorum defensio pro causis ecclesiæ.*

CASAM DEI] ecclesiam, alibi donatio ad *casam Dei*, & passim.

ADRHAMITVM] promissum. Adrhamine enim non est iurare, sed cauere se certa die & certo loco iuraturum: *de sacramento fidem facere in Leg. Ribuar. tit. LXVIII. Capitul. lib. III. cap. LVIII. vt si sacramenta ad palatium fuerint adrhamita in palatio perficiantur. lib. IV. c. XXVIII. vbi antiquitatis consuetudo fuit de libertate sacramenta adrhamine vel iurare, & cap. XXIX. Leg. Sal. tit. XXXIX. j. cap. prox. vnde tale sacramentum per suam fistucam visus fuit adrhamine.*

TENSANDVM] retinendum, vt libertatem retineret.

RACIMBURGIOS] Comites non soli, sed adfidentibus septem vt plurimum consiliariis ius dicebant, qui *Racimburchi* vel *rachimburgi* dicebantur. Leg. Salicæ tit. LII. 3. *Tunc grafio congreget secum septem Rachimburchios. & tit. LX. Leg. Ribuar. tit. LVII. Capitula Pipini R. s. causa sua antepsum Comitem fuit & ante Racemburchios. j. c. VI. Eisdem Scabineos dictos esse existi-*

mo, si quidem Scabinei iudices erant, & septem numero Comiti adsidebant. Capitul. lib. iiii. c. xl. vt nullus ad placitum banniat, nisi qui causam suam quarit, aut si alter ei querere debet: exceptis scabineis vii. qui ad omnia placita præesse debent. Qua occasione lubet exscribere ex Besuensis monasterij Chronico Comitis & Scabineorum iudicium, quo tam hæc formula, quam sequentia capita quæ eodem fere pertinent, non parum illustrantur.

Notum fiat posteris, & memoria commendetur quod ante illustrem virum Hildegarium Comitem, seu Iudices quos Scabinos vocant, & quamplures personas qui cum eo aderant in Montaniaco villa in mallo publico ad multorum causas audiendas & recta iudicia terminanda, ibi veniens Becto episcopus [Lingonensis] & Aduocatus suus Burgoardus nouem legitimos testes ibi presentant, quorum nomina hæc sunt, Simeon, Agano, Bertchranus, Gouo, Machvius, Adalardus, Gerino, Gerento, Syranus. Isti testificauerunt & iurauerunt de finibus Besuensis monasterij quod à fine Pontense, & à fine Vendobrinsæ & Vvaurense, & Tillense, & Vetusnimense, & Bustellense, & Bustense, & Lucense & Burburense, & Berecholpo villare, per istas marcas inter ipsos fines immunitas sit S. Petri ad integrum, & in alio loco bosco communitas ad integrum: & ab ipso fine Bustulense vsq. ad viam petrosam, & deinde vsq. ad stradam fractam, & deinde vsque ad finem Burburenensem immunitas est S. Petri ad integrum. Per istas marcas euntes ipsi nouem testes quos supra nominauimus, misso secum Balacterio illustri viro, ab Hildegario Comite, & à suis Scabinis, dixerunt, & per iudicium testificauerunt, quod à tempore Pipini Regis & deinceps per tempora

domni Caroli imperatoris vidissent inde legitimas vestituras ad partem S. Petri haberi, ita ut nec Aldo, nec heredes sui ullam legitimam vestituram exinde unquam habuissent, sed per legem & per iustitiam vestitura S. Petri fontis Besuensis erat. Tunc ipsi scabinei unanimiter iudicauerunt quod omni tempore ipsa res per illas marcas ad partem S. Petri essent vindicata atque legibus conquesta. His presentibus testibus Balderio, Madaberto, Beato, Eppleno, Baldrico, Anfino, Vormerio, Milone, Albrico notario, Feilagio, Leudino, Arberto, Valterius presens fuit & subscripsit. Data nona die mercoris proxima in mense Maio Anno II. regnante Domino nostro Lugdouico Rege atque Imperatore.

PRO COLONO] Coloni liberi quidem non serui erant, obnoxia tamen sortis & conditionis. Leg. Alaman. tit. IX. & XXIII. Liberi ecclesiastici quos colonos vocant, quos tamen frequentissime seruis adiungi & connumerari reperias: nam ad tributa & seruiles operas tenebatur. Leg. Baiuar. c. I. tit. XIII. De colonis vel seruis ecclesie qualiter seruiant, vel qualia tributa reddant, &c. Adnunciatio Caroli apud Pistas c. XX. Si quis reputatus fuerit mensuram adulterasse & cum maiori modio vel sextario annonam vel vinum accepisse, ut cum minori mensura venundaret, si liber homo est, aut secundum suam legem se inde sacramento idoneum reddat, aut &c. si autem colonus vel seruus inde reputatus fuerit, aut iudicio Dei se examinet, aut si inde conuictus fuerit, hoc ut supra diximus unde mensuram adulterauit perdat: in super & virgis nudo corio vapulet. Sanè iure Romano ut antea diximus, nec prædia receptis colonis vendi legariue poterant, L. Si quis iniqui-

nos cxii. De legatis i. L. ii. L. xii. De agricolis  
& cens. Cod lib. xi. In donatione Haganonis  
ad S. Martinum Turonensem imperante Lu-  
douico: *Fridegiso Abati trado mansum nostrum in-*  
*dominatum, &c. cum hominibus ibidem commoran-*  
*tibus quos colonario ordine viuere constituimus.*

RECOGNOVIT ET RECREDDIT ]  
Recredere eiusmodi scriptoribus restituere est  
& reddere. Iuo epist. cclxxv. *dicit Comes quod li-*  
*benter reddes aut recredes Comitem Niuernensem.*  
Vetus instrumentum in tabulario S. Mar-  
tini Turonensis anno III. Rodulfi R. & sic  
ex ipsis decimus sese recreddidit & per fistucam guer-  
piuit.

VICARIVS ] Comitis, Gregor. Turon. lib.  
x. c. v. *responderunt hoc Animondi Vicarij dolo qui pa-*  
*gum illum iudiciaria regebat potestate factum fuisse, &*  
*lib. vii. c. xxiii. de Armentario Iudæo qui Tu-*  
*ronum ciuitatem venit ad exigendas cautiones, quas*  
*ei propter tributa publica Iniuriosus ex-vicario, ex-co-*  
*mite vero Eunomius deposuerant. Quibus locis vide-*  
*tur Gregorium sensisse de Vicario qui per pro-*  
*uinciam vices Comitis agebat, quique postea*  
*Vicecomes appellatus est. Erāt enim & alij mi-*  
*nores Vicarij, quorū singuli sub eodem Comi-*  
*te certis territoriis præerant, ideoque à Vva-*  
*lfrido plebanis & parochis ecclesiarum com-*  
*parantur. Capitul. lib. ii. c. xxviii. habeat vnus-*  
*quisque Comes vicarios, & centenarios suos secum.*  
Hincmarus ep. iv. cap. xv. *Comites & Vicarij, vel*  
*etiam Decani plurima placita constituunt. Idem Epi-*  
*stola pro episcopis Gallix & Germanix ca. iii.*

Regum Comites in ciuitatibus suis, & Comitum Vicarij in plebibus. Inde frequenter veteribus instrumentis in pago illo, in Vicaria illa. Hodie Viguiers.

ACCIPERE DEBERE ] Leg. Ribuar. tit. LXI. Hoc itaque constituimus, vt quicumque in causa victor extiterit, semper iudicium conscriptum accipiat.

CAP.  
II,

CHARTA SACRAMENTALIS ] qua statuitur, vt qui pro colono vindicatus se liberum asserit, manu sextadecima propinquorum, certa die in basilica sancti alicuius iuret se liberum esse.

IN MALLO PUBLICO ] Mallus, placitum maius, vbi maiora negotia à Comite finiebantur. Leg. Salicæ tit. I. XLVI. XLVIII. LVI. LIX. LX. Capitul. lib. III. C. XXVIII. LI. LVII. & lib. IV. C. XXVIII. Vbi antiquitus consuetudo fuit de libertate sacramenta ad rhamire vel iurare, ibi mallum habeatur & ibi sacramenta iurentur. Mallus tamen neque in ecclesia neque in atrio eius habeatur. Minora vero placita Comes siue intra suam potestatem, vel vbi impetrare potuerit habeat. Volumus itaque vt domus à Comite in loco vbi mallum tenere debet constituatur, vt propter calorem solis & pluuiam publica utilitas non remaneat. Adnunciatio Caroli R. apud Pistas cap. xxxii. Vt conlimitanes & vicini Comites in vna die, si fieri potest, mallum non teneant, maxime post octauas Pasche, propter Francos homines & Aduocatos, qui ad vtrumque mallum non possunt occurrere, sed mittant sibi inuicem missos, & si vnus die Lunis mallum haberit, alter die Iouis, aut die Lunis sequentis hebdomada mallum habeat. Et ne graue ei sit qui suum mallum interiecit, qui vno anno primus tenuerit mallum, sequenti anno consentiat alteri primum tenere. Et si sacramenta

legalia in primo die Lunis post Pascha iuranda denenerint, aut in aliis feriis quando mallum tenere debuerat, mittat quisque Comes Missum suum qui ipsa sacramenta auscultet, ne ipsi homines iecti inueniantur, & ipse sic mallum suum teneat, ut barigildi eius & aduocati qui in aliis Comitatus rationes habent ad suum mallum occurrere possint. Synodi Meldensis c. LXXVI. Passim in formulis quæ sequuntur.

APVD PROXIMIORES PARENTES SVOS] Inde in Lege Salica tit. LXIII. qui cognationi renunciat dicere debet quod se de iuramento & de hereditate & de tota illorum ratione tollat.

NOCTES] Tacitus de Germanis. Nec dierum numero ut nos, sed noctium computant, sic constituunt, sic condicunt ut nox ducere diem videatur. Sæpissimè in Lege Salica, Capitulis, historicis, veteribus instrumentis, ut ad Capitula Caroli M. doctiss. Fr. Pithæus obseruat. Quo fit ut ad hæc vsque tempora plerique annui quasi hac nocte pro hodie usurpent.

IECTIVVS] s. ad Marcul. lib. I. c. XXXVIII. CAP. Adnunciatio Caroli R. apud Pistas cap. XXXIII. VI. multi inde contendunt, & se inter se iectiscant. postea suum sacramentum se iurare debere contendunt, & contra causatores suos, si ad hoc audiendum non venerint iectiscant.

RACHIMBURGIS] de quibus s. cap. I. CAP.

MISSOS DOMNI ET GLORIOSISSIMI REGIS] Missos dominicos, j. hoc ipso capite Pipinus Maior domus in diplomate pro S. Dionysio. Omnibus episcopis, abatibus, ducibus, comitibus, domesticis, grafionibus vegariis, centenariis, vel omnibus missis nostris discurrentibus, seu quacumq.

IV.

CAP. VII.

*iudiciaria potestate præditis.* Quater in anno à principe legati per prouincias mittebantur, vt siquid episcopi aut comites negligentius egissent, per eorum admonitionem corrigeretur: hisque quibus à Comite ius dictum non esset illi dicerent, & pleraque negotia regis nomine perficerent, aut ad eum referrent, constitutiones quoque principum seu capitula ab iis per prouincias transmittabantur & annunciabantur. Capitul. lib. II. c. xviii. xxvi. xxvii. xxviii. lib. III. cap. xiv. xvii. lxxxiii. lxxxv. lxxxviii. & passim. Horum officium præclare describit Flodoardus Hist. Rhem. lib. II. c. xviii.

ATQVE ELIDIATA SIT ] Corrupta hæc sunt, sed ita restituenda crediderim, vt ipsam terram ipse Abas habeat euindicatam atque elitigatam, ne sit post modum ex hac re omnique tempore subita causatio. Elitigata pro extralitem & controuersiam posita, quæ vox frequentissima est in Variis Formulis.

IN GRAFIA ILLA ] in illo Comitatu. Grafiones enim Germanica lingua pro iudicibus & Comitibus vsurpantur, Auentinus lib. VII. ad an. mcccxxxv. Eodem anno Cesar VIII. KL. Ianuarias Augustam in consinio Rhetia atque Vindelicia concilium procerum conuocat. Albertum Hallusum in classem præsectorum quos nos Graphios, litteratores Comites vocant, refert. Rigordus In Vita Philippi Augusti R. ad an. mcccviii. Eodem anno quidam Comes Palatinus, qui eorum lingua Landgraf vocabatur, id est Comes Palatii, &c. Sic enim ex veteribus libris legendum est. Carlomannus R. in Synodo an. dccxlii. Decreuitis quoque vt secundum ca-

nones vnusquisque episcopus in sua parochia sollicitudinem habeat, adiuuante Grafione qui defensor ecclesie eius est, vt populus Dei paganas non faciat. Ibi enim Grafio Comes est. Sic in Lege Salica & veteribus aliis Legib. Grafionis vocabulū accipitur.

INGENVITAS ] Exemplum manumissionis à Senonensi quodam archiepiscopo factæ Ludouico Pio imperante, qua secundum eius constitutionem archiepiscopus seruum suum in ecclesia manumittit, vt ad sacros ordines possit promoueri. CAP.  
VIII.

STATVIT VT EPISCOPI ATQVE ABATES ] Vita Ludeuici Pij. Considerans idem piusissimus imperator, non debere Christi ministros obnoxios esse humane seruituti, &c. statuit vt quicumque ex seruili conditione, conciliante scientia & morum probitate, ad ministerium altaris adsciscerentur, primum manumittantur à propriis dominis, vel priuatis, vel ecclesiasticis: & tunc demum gradibus altaris induantur. Quæ eadem continuationi Aimoini inserta sunt lib. v. cap. x. Capitul. lib. i. cap. LXXXVIII. De seruorum ordinatione &c. statutum est vt nullus episcoporum deinceps eos ad sacros ordines promouere præsumat nisi prius à dominis propriis libertatem consecuti fuerint: & quæ sequuntur quod ipsum iisdem verbis refertur ex incerto quodam Concilio Toletano à Burchardo lib. ii. cap. xxxi. & ab Iuone Decreti par. vi. cap. CLXXXII. Antea etiam id sæpe constitutum: nam & in eandem sententiam citatur ab eodem Burchardo & Gratiano auctoritas Leonis PP. Præterea Synodi Aurelianensis III. sub Childeberto R. cap. xxi.

nominatim cautum apparet, vt nullus seruilib. colonariisq; conditionib. obligatus, iuxta statuta sedis apostolica ad honores ecclesiasticos admittatur, nisi testamento aut per tabulas constituerit eum absolutum. Eodem pertinet Nouel. cxxiii. §. Si seruus c. xvii.

PERMISSV IPSIVS LIBERTATE DONENT ] innuit seruos ecclesiarum, de quibus heic agitur, non potuisse manumitti etiam ordinandi gratia, sine principis auctoritate, cum alienationis species videatur.

HLVDOVICI AVGVSTI AVCTORITATE QVÆ SENONIS IN ARCIBO ECCLESIAE EPISCOPII SERVATVR. ] Capitul. lib. i. cap. lxxxviii. De ecclesiarum vero serui communis sententia decretum est, vt archiepiscopi per singulas provincias constituti nostram auctoritatem, suffraganei vero illorum, exemplar illius penes se habeant. Et quandocumque de familia ecclesie vilis inuentus aliquis ordinandus est, in ambone ipsa auctoritate coram populo legatur, &c. Burchardus lib. ii. cap. xxxii. Synodi Triburiensis c. xxv.

IN ARCIBO ] archio, archiuo.

EPISCOPII ] domus episcopi. Synodi Meldensis c. xxvi. Suggestendum est & ex diuino mandato intimandum regia maiestati, vt episcopium quod domus episcopi appellatur &c. venerabiliter ac reuerenter introeat, & secundum sanctam predecessorum consuetudinem, quando orationis & debite susceptionis gratia in transitu conuenienti ciuitatem ingressus fuerit, baculis episcopalibus reuerenter inhabitet.

CENSEO TE ATQVE STATVO ANTE SACRI ALTARIS CORNV ] Manumissio in ecclesia ante altaris cornu solita cele-

brari Formul. Leg. Rom. c. xii. Capitul. lib. i. c. lxxxviii. in ambone ipsa auctoritas coram populo legatur, & coram sacerdotibus vel coram fidelibus laicis ante cornu altaris, sicut in nostra auctoritate continetur, remota qualibet calliditate libertatem consequatur, & tunc demum ad gradus ecclesiasticos promoueat. Exemplum manumissionis apud Burchardum lib. ii. c. xxvi. ego Burchardus Vormaticensis ecclesie episcopus quendam ecclesie nostrae famulum nomine Eberhardum, sacris ordinibus oblatum, ad altaris cornu, nobilium virorum in praesentia per hoc auctoritatis testamentum statuo, ita vt ab hodierno die & tempore bene ingenuus atque ab omni seruitutis vinculo securus permaneat. Seruos autem qui manumittebantur vt clerici fierent alibi quam in ecclesia manumitti non potuisse docet idem Burchardus cap. xxviii.

CIVEMQVE ROMANVM APPELLARI ] qui in ecclesiis manumittebantur, ciues Romani, non Latini fiebant, maximamque libertatem consequiebantur, ex constitutione Constantini L. i. Cod. Th. De manumiss. in eccl. Ideoque haec clausula instrumentis libertatis apponi solita. Formul. Leg. Rom. c. xii. B. Gregorius PP. Regist. lib. v. epist. xii. vos Montanum atque Thomam famulos sanctae Romanae ecclesiae, cui, Deo adiutore deseruimus, liberos ex hac die ciuesque Romanos effcimus, omneque vestrum vobis relaxamus seruitutis peculium. Cuius tamen appellationis Caroli M. & Ludouici Pij saeculo non aliam vim fuisse existimo, quam vt Lege Romana manumissi vterentur.

NULLI HOMINVM QVICQVAM

DEBEAS SERVITII ATQVE OBSEQUII] Hinc apparet non tantum seruos sed etiam libertos qui obsequiis erga patronos tenerentur ordinari non potuisse. Debet enim ab aliis immunis esse qui diuinæ militiæ aggregandus est, vt Leonis PP. verbis vtat. Synodus Toletana apud Burchardum lib. II. cap. xxv. *Quicumque libertatem à dominis suis ita percipiunt, vt nullum sibi met in eis obsequium patronus retentet, isti si sine crimine capitali sunt, ad clericatus ordinem suscipiantur, quia directa manumissione absoluti esse noscuntur, qui vero retento obsequio manumissi sunt, pro eo quod adhuc patrono seruituti tenentur obnoxij, nullatenus sunt ad ecclesiasticum ordinem promouendi, ne quando voluerint eorum domini fiant ex clericis serui.*

CANONICIS ADMONITI SANCTIONIBVS VT SI QVA DEINCEPS PRÆDIA] In Capitulis id ipsum statuitur: lib. I. c. LXXXVIII. *Si post ordinationem aliquid adquisierit, illud obseruetur quod in canonibus de consecratis nihil habentibus constitutum est.* Canonice autem sanctiones illæ, de quibus heic & in Capitulis, sunt synodorum decreta quibus statuitur, vt clerici qui nihil habentes consecrati sunt si postea aliquid adquisierint, id omne ad ecclesiam pertineat. Synodi Carthaginensis III. c. XLIX. *Placuit vt episcopi, presbyteri, diaconi vel quicumque clerici qui nihil habentes ordinantur, & tempore episcopatus vel clericatus sui agros vel quæcumque prædia nomine suo comparant, tanquam rerum dominicarum inuasionis crimine teneantur, nisi admoniti ecclesiæ eadem ipsa contulerint,* Burchardus vt vnusquisque presbyter res quas post diem consecrationis adquisierit, propria ec-

clēſiē relinquat. Idem Burch. lib. III. c. CXVIII. ex Synodo Rhemenſi refert hæc verba. *Inueſtigandum ſi nihil patrimonij habens preſbyter quando promotus eſt ad ordinem eccleſiaſticum poſtea emerit prædia cuius iuris ſint, quoniam eccleſiæ ad quam de nihil habente promotus eſt eſſe debent, iuxta canonicam authoritatem.* Eadem verba extant in cap. I. De peculio clericorum, quæ tamen citantur ex concilio Arelatenſi.

MANDATVM ] continet ſimplex mandatum ſeu procuratiōem litigandi cauſa, vt & ſimilis eſt apud Marculfum lib. I. c. XXI. & li. II. c. XXXI. CAP. IX.

TRACTVRIA PRO ITINERE PER- AGENDO ] Tracturia pro Tractoria. Nã heic forma quædã quaſi Tractoriæ refertur, qua epiſcopus eum cui ob delicta pœnitentiæ cauſa peregrinatio indicta fuerat commēdat iis ad quos iter faciens peruenerit, vt ſciant non alia ex cauſa illum peregrinari, nec vagari. Itaq. rogat vt ei manſionem & focum, panem & aquã præſtēt. De Tractoria dictũ eſt ad Marcul. li. I. c. XI. CAP. X.

CENTENARIIS ] Singuli Comitatus in Centenas ſeu territoria quædam diuidebantur, quibus Minores Iudicēs præerant ſub Comitis diſpoſitione, qui à Centena Centenarij dicebantur. Synodi Cabilonenſis ſub Carolo M. cap. XXI. *Comitibus & iudicibus hoc ſummopere obſeruandum eſt vt iuſte iudicent: paulò poſt. Sed & miniſtros quos Vicarios & Centenarios vocant iuſtos habere debent. Qui tamen non de omnibus cauſis, ſed de minoribus tantum iudicabant.* Capitul. lib. IV. cap. XXVI. *Omnis controuerſia coram Centenario deſiniri poteſt, excepta redditione terræ,*

Et mancipiorum, quæ non nisi coram Comite fieri potest. lib. III. c. LXXIX. Vt nullus homo in placito Centenarij neque ad mortem, neque ad libertatem suam amittendam aut ad res reddendas vel mancipia iudicetur: sed ista in presentia Comitum vel Missorum nostrorum iudicentur. Centenarios porro per pagos statutos esse scribit Vvalafridus Strabo, & planè eosdem cum Vicariis facit, quos etiam cum presbyteris ecclesiarum baptismalium qui minoribus presbyteris præstant comparat.

DECANIS ] Minimi sunt iudices sub Centenariis, & à Vvalafrido minoribus presbyteris conferuntur. Hincmar. ep. IV. c. XV. *Comites & Vicarij, vel etiam Decani plurima placita constituunt, &c.*

CAP.  
XII.

LITTERÆ COMMENDATITIÆ ] Clericis sine proprii episcopi licentia peregrinari non licebat, nec peregrinantes ab alio episcopo suscipi & admitti poterant, nisi ab episcopo suo commendatitias litteras impetrassent. Synodi Calchedonensis can. XIII. *Ἐπιτοὺς κληρικῶν καὶ ἀγνώστοις ἐν ἑτέροις πόλεσι δίχα συστατικῶν γραμμάτων οὐκ ἰδίῃ ἐπισκόπῳ, μηδὲ ὄλως μηδαμῶς λειτουργεῖν.* Synodi VI. in Trullo can. XVII. Synodi Agathensis c. XXXVIII. *Clericis sine commendatitiis episcopi licentia non pateat euagandi.* Synodi Epaunensis c. VI. Burchardus lib. II. cap. CXXXVII. CXXXVIII. CXLI. *Formata* ut plurimum apud Latinos scriptores hæ litteræ appellantur. Optatus Mileuitanus lib. I. de Syricio PP. *cum quo nobis totus orbis commercio formatarum in una communionis societate concordat, siue quod certa forma certisque notis conceptæ essent, siue*

AD VETER. FORMVL. 601  
etiam à forma seu sigillo quod addebatur, vt  
putat eruditissimus Iac. Sirmondus in Notis ad  
Goffridum: cui posteriori sententiæ suffragari  
videtur quod dicitur in Synodo Cabilonensi  
sub Carolo M. cap. xli. presbyterum qui pro-  
prio loco dimisso ad alium migrat litteras ha-  
bere debere *in quibus sint nomina episcopi & ciuita-  
tis plumbo impressa.* Est etiam in Ordine Roma-  
no epistola, quo episcopi à Pontifice Romani  
consecrati ad ciuitates suas remittuntur & of-  
ficij admonentur quæ *Formata episcopo danda  
nuncupatur,* cum tamen commendatitia non sit,  
quod aliis confirmari posset exemplis. Illud  
autem obseruandum non tantum clericis pere-  
grinantibus formata opus esse, sed nec episco-  
pis remota loca petere absque metropolitani  
formata licuisse: ideoque Laudunensem episco-  
pum nepotem suum Hincmarus reprehendit  
quod absque metropolitani epistola extra dice-  
cesim sæpe profectus esset. Quod ius Formatae  
episcopis dandæ Vigilus PP. ep. vii. Auxanio  
Arelatensi episcopo tribuit, cui vices suas com-  
miserat. Nullus, inquit *de Pontificibus tua per has  
vices ordinationi commissis in longinquis quibuslibet lo-  
cis audeat proficisci, nisi solenni more (sicut decessore  
nostro prædecessori vestro similiter concedente consue-  
uerant) Formatam vestrae charitatis acceperit.*

MAGNONI ] Carolo M. imperante vixit  
Magno Senonensis archiepiscopus cuius est  
hæc Formata, quod & annus his litteris adscri-  
ptus ostendit. Ille est qui Notas iuris collegit  
& Carolo M. dicauit, quibus ipse hos præfixit  
versiculos. *Hæc iuris antea libens Rex accipe Carle.*

*Offert deuotus quæ tibi Magnotuus.*

ET VT CERTIVS CREDATIS, GRÆCA ELEMENTA ] Solebant episcopi in formati seu commendatitiis litteris, ne qua fraus fieret, vti certis quibusdam notis & symbolis, litteris videlicet Græcis quæ certum numerum exprimerent. Quod quomodo fieret exponit Atticus in fine Synodi Calchedonensis. Iuo Decreti Par. vi. cap. cccxxxiii. Gratianus Distinct. lxxiii. additis duabus harum epistolarum formulis, quarum vna Burchardi est lib. ii. c. ccxxvii.

CAP.  
xiii.

INGENUITAS ] De ingenuitate ad Marculf. cap xxxii. lib. ii. abundè diximus.

TESTAMENTVM ETIAM FACIENDI ] Saluianus Ad ecclesiam catholicam lib. iii. *illi testamenti faciendi arbitrium dant libertis, in tollis liberis.* Quod plenæ libertatis qua ciues Romani efficiebantur proprium erat, non Latine. Verum hoc sæculo, eiusmodi differentiam euauisse antea monui.

DEFENSIONEM VEL MVNDEVR-DEM ECCLESiarvm ] Marculfus lib. ii. c. xxxii. Concilium Toletanum v. c. lxxii. *Liberti qui à quibuscumque manumissi sunt, atque ecclesie patrocinio commendati existunt, sicut regule antiquorum patrum constituerunt, sacerdotali defensione à cuiuslibet insolentia protegantur, siue in statu libertatis eorum, seu in peculio quod habere noscuntur.*

CAP.  
xviii.

CHARTA AGNATIONIS ] qua dominus serui cui se ingenua iunxit illis indulget, vt qui ex eis nascentur, liberi permaneant. Marculfus lib. ii. c. xxix. vbi plura.

TRADI-

TRADITORIA DE TERRA ] Forma CAP.  
est traditionis agri antea venditi. XIX.

VEL TERRAM VEL HERBAM VISVS  
FVIT TRADIDISSE ] j. cap. XLIII. per ter-  
ram vel herbam sicut lex est ad partem sancti illius vi-  
sus est tradidisse. Sic Leg. Baiuar. cap. xvii. tit. iii.  
ea ratione firmet per quatuor angulos campi, aut desi-  
gnatis terminis, per hac verba tollat de ipsa terra vel  
aratrum circumducatur, vel de herbis aut ramis, sylua  
si fuerit, ego tibi tradidi & legitime firmabo per ternas  
vices. Non dissimilis est traditionis forma quæ  
ab Innocentio III. PP. describitur in cap. ii.  
De consuetudine hanc conferendi formam esse pro-  
ponis, quod in huiusmodi donationibus modicum terre  
consuevit in manu accipere, vel in extremitate pallij ma-  
nu prelati ecclesie sustinetur, aut super altare ponem-  
dum sub testimonio videntium & audientium sub di-  
cta forma quæ scotatio vulgariter appellatur. De aliis  
traditionum modis nonnulla notauimus ad  
Marcul. lib. i. c. xiii.

EXITVM FECISSE ] in signum scilicet  
traditionis exhibat, loco cedebat, vacuamq. pos-  
sessionem in alterum transferebat: aliàs tamen  
exitum scriptum est, vt sit sensus, eum possessio-  
ne se exuisse, vt alius ea vestiretur, si sæculi ver-  
bis vti licet, vtrumque retineri potest.

NOTITIA DE SERVO VENDITO ] in- CAP.  
strumentum venditionis serui. XXI.

NOTITIA DE IACTIVIS ] qua notum CAP.  
fit quendam vadimonium deseruisse. Marculf. XXI.  
lib. i. cap. xxxvii. vnde petenda huius capitis  
interpretatio.

SECVRITAS ] Marculf. lib. ii. c. xviii. CAP.  
PP XXIII.

VT ILLAM LEVDEM VT LEXERAT  
SOLVERE DEBERET] Leudis, pretium cō-  
positionis pro homicidio. Leg. Salicæ tit. XLIII.  
II. *Si autem qui præcipitatus est mortuus fuerit tota  
leude sua componatur. 12. medietate leudis eius compo-  
nat, ille vero qui eum occiderit secundam legem eum  
componat. Leg. Frisionum tit. II. expositor nec iuret,  
nec leudem soluat, sed inimicitias propinquorum occisi  
patiatur donec se cum eis reconciliet.*

CAP. MANDATVM] eius qui propter morbum  
XXV. vel ætatem rebus suis superesse non potest.  
Marculf. lib. I. c. XXI.

CAP. PRECARIA] de precaria iam satis ad Mar-  
XXVII. culf. lib. II. c. V.

CAP. PRESTARIA] præstationis charta. s. ad  
XXVIII. Marculf. cap. XL. lib. II.

CENSVM AD LVMEN VEL SACRI-  
FICIVM SOLIDOS TANTOS] In precariis  
ab ecclesia concessis solebat merces quædam  
feu census annuus interuenire. Synodus Lepti-  
nensis, *ea conditione vt annis singulis de vnaquaque  
casata solidus id est duodecim denarij ad ecclesiam vel  
monasterium reddantur.* Flodoard. Hist. Rhem. lib.  
III. c. XX. ex Hincmaro, *quomodo Carolus Pipini regis  
filius eandem villam apud Tilpinum archiepiscopum ob-  
tinuerit in præstariam, ea conditione vt capellas ad ip-  
sam pertinentes cum nonis & decimis episcopus Rhe-  
morum retineret, & rex duodecim libras argenti in la-  
minaribus ecclesie daret, & quod hunc censum tam ip-  
se rex quàm successores eius persoluerunt. Quæ censum  
in recognitionē domini præstari idem Hinc-  
marus innuit apud eundem lib. III. c. XXVI. ne forte  
suggeratur imperatori, quod cupiditate illectus hunc*

*ensum repetat, quem in suos vsus nunquam redegerat: sed cupiens euadere periculum, ne silentio suo in diebus suis census ipse depereat, & ipsa villa in alodem ver-  
tatur.*

NOTITIA DE HOMINE FORBATV. CAP. XXIX.  
DO] Formula iurisiurandi quod prestare tene-  
tur is qui adgressorem interfecit, nimirum ob  
tutelam corporis sui & vim repellendo occi-  
disse. Eiusdem argumenti est cap. xxx. Formul.  
Leg. Rom.

COLPVs] ictus vt vett Glossæ apud Pithœu  
rectè interpretantur, nostris *coup*. Leg. Salic. tit.  
xix. *Si quis ingenuus ingenuum fuste percusserit, & ta-  
men sanguis non exierit vsque ad tres colpos, pro vno-  
quoque ictu cxx. denarios, qui faciunt sol. iiii. soluat.*

FORBATVDVM] Sic in Form. Leg. Rom.  
cap. xxx. Decretum Childeberti R. *iudex loci il-  
lius solatio collecto ipsum raptorem occidat, & iaceat  
forbatudus. quasi forbatudus pro iure cæso dice-  
retur. Quod apertius traditur in Leg. Ribuar.  
tit. lxxix. De homine forbatudo. Si quis hominem su-  
per rebus suis comprehenderit, & eum ligare voluerit,  
aut super uxorem, seu super filiam, vel his similibus,  
& non prauauerit ligare, sed colpus ei excesserit, &  
eum interfecerit, coram testibus in quadringio in clida  
eum leuare debet, & sic xl. seu xlii. noctes custodire,  
& tunc ante iudicem in arabo conuret quod eum de  
vita forsactum interfecisset. Sin autem ista non adim-  
pleuerit, homicidij culpabilis iudicetur.*

INFRA NOCTES XLII.] numerus re-  
spondet Legi Ribuarix, cuius particulam mo-  
do adscripsi: in qua tamen ex hoc loco pro xiv.  
legendum esse putarem xlii. alij viderint.

SICVT LEX EST] Leg. Ribuar. tit. LXXIX.

APVD TRES ALOARIVS] Sic j. c. xxiii. post ipsum tres aloaria & XII. conlaudantes iurauerunt. Plenius tamen inquirendum cenſeo.

ET LINGVAS EORVM LEGIBVS DIVERXERVNT] hoc eſt ſecundum leges iurauerunt eum qui iuravit vera dixiſſe. Formul. Leg. Rom. cap. xxxi. ſimiliter teſtes ſibi ſimiles viſores & cognitores ſecundum quod ei iudicatum fuit, poſt ipſum iurauerunt, vt quicquid iam dictus ille de hac cauſa iuravit verum & idoneum ſacramentum dedit. Leg. Alam. tit. vi. ſ. ad Marculf. lib. i. c. xxxviii. Fortè legēdum dixerunt, vt j. c. xxxiii. & xxxiv.

CAP.  
xxx.

INDICVLVS REGALIS] Regia epiſtola qua rex Comiti mandat, vt cuidam qui queritur, quod alij res ſuas retinerent, ius dicat, aut ſi illi ſatisfacere recuſent cogat eos fideiuſſores ante regem iudicio ſiſtendi cauſa dare. Marcul. lib. i. cap. xxvii. & xxviii. Quid ſit Indiculus ad cap. vi. Marculfi expoſitum eſt.

IN VESTRO MINISTERIO] Miniſterium pro territorio. Capitul. lib. ii. c. xviii. ſicut in capitulis qua de hac re illis Comitib. dedimus, in quorū miniſterio moneta percutitur conſtitutū eſt, & paſſim.

SVPER NOCTES TANTAS] i. intra tot dies. Nam ſpatia temporis nō numero dierum, ſed noctium finiebant, vt antea dictum eſt.

CAP.  
xxxi.

ALIVS INDICVLVS] Immunitas eſt militiae, quæ ſeni à rege conceditur.

DE OMNI HOSTE] exercitu. Capitul. lib. iii. c. lxx. quicumque homo noſtros habens honores in hoſtem bannitus fuerit. Appendix Aimoini

lib. iv. cap. lvi. rebellantibus Saxonibus paganissimis, qui contra Rhenum fluvium consistunt strenuus vir Carolus hostem movit Francorum. Adnunciatio apud Pistas cap. xxvi. Ut pagenses Franci qui caballos habent vel habere possunt cum suis Comitibus in hostem pergant. Nostris host.

ARRIBANNO ] seu Heribanno, pœna est pecuniaria eius qui ad expeditionem post principis bannum seu edictum profectus non est. Gregor. Turon. lib. v. cap. xxvi. Post hæc Chilpericus rex de pauperibus & iunioribus ecclesie vel basilicæ iussit bannos exigi pro eo quod in exercitum non ambulassent. & lib. vii. cap. xlii. post hæc edictum à iudicibus datum est, ut qui in hac expeditione tardi fuerant damnarentur. Capitul. lib. iii. cap. xiv. De Heribanno volumus ut missi nostri fideliter exactare debeant. & cap. xxxv. & lxxviii. In Legib. Longobardorum heribanni mulcta est lx. solidorum.

DISMANARE ] i. de domo extrahere.

NOTITIA DE COLONITIO ] s. c. i. iv. v.

CAP.

NOTITIA DE HERBIS MALEFICIS ]

xxxii.

CAP.

Iusiurandum mulieris, quæ veneficio hominem occidisse accusabatur, quod scilicet potionem maleficam ei nunquam temperasset aut propinasset.

xxxiv.

MALLAVIT ] in ius seu ad mallum. Comitibus vocavit.

HERBAS MALEFICAS TEMPERASSEM ] Leg. Sal. tit. xxi. De maleficiis. Si quis alteri herbas dederit bibere, & mortuus fuerit vii. den. qui faciit sol. cc. culpabilis indicetur. 2. si vero biberit & mortuus non fuerit, &c. ille qui dedit pro aliquo maleficio culpabilis indicetur. Greg. Tur. lib. vi. cap. xxxv. de

Mummolo qui maleficij incusatus est, quod herbam se habere ad tormina & dysenteriam sanandam professus sit: apud eundem Gregorium *per herbarum venena*. Inde *enberber*.

CAP. XXXV. CESSIO] donatio à patre vni ex filiis facta, vt præcipuum illud habeat. Similis est apud Marcul. lib. II. cap. XI. quæ in nepotem confertur.

CAP. XXXVI. EVACVATORIA] apocha, s. ad Marculf. lib. II. cap. XXXV.

CAP. XXXVII. LIBELLVS DOTIS] de libello dotis s. ad lib. II. cap. XV.

MANCIPIA STANTIA] villici, qui fundum exercent, & inter instrumenta fundi numerantur.

CAP. XXXIIX. INDICVLVS REGALIS] Videndus Marcul. lib. I. cap. XXXVII.

APVD NOSTRVM SIGNACVLVM] *Apud* heic dicitur pro *cum* aut *per*, quod non raro in illius sæculi auctoribus occurrit. s. cap. II. *apud proximiores parentes suos octo iuret.* & cap. XXIX. in f. Itaque quod heic dicitur *apud nostrum signaculum* sic accipiendum est, *per litteras anulo seu sigillo nostro firmatas*. Nam vt diximus in diculo sigillum non addebatur.

MANNITVM] Mannire, in ius vocare, Leg. Sal. tit. I. & aliàs sæpissime, quasi *monere*.

CAP. XXXIX. ÆQVALENTIA VEL PACTVM] Diuisio hereditatis inter fratres, quæ æqualètia heic appellatur, quod æquis partibus fiat. Marculf. lib. II. cap. XIV.

ÆQVALENTIA DIVIDERE] æqua lance. Inde huius capitis titulus. Marculf. lib. II.

cap. xiv. *aqua lance inter se visi sunt diuisisse vel ex-  
aquasse.*

CVM OMNI DESUPER POSITO ] *su-  
prapósito passim in Formul. Leg. Rom. j. cap. xl.  
vna cum superpositis. apud Iurifconsultos cum om-  
nibus qua ibi erunt : clausula in venditionibus,  
donationibus, legatis, diuisionibus hereditatis  
frequentissima.*

PECVLIVM PRÆSIDIVM ] *de peculij  
& præsidij voce ad lib. ii. Marculfi.*

DONATIO AD CASAM DEI ] *Casa Dei CAP.  
pro ecclesia, quasi domus Dei. Hincm. Ep. vii. <sup>xl.</sup>  
c. xxxv. Prouidendum est etiam vt de nihil habentibus  
promoti presbyteri non præsumant qua de facultati-  
bus ecclesiæ comparauerunt vendere, vel quasi ad Casam  
Dei tradere, nisi ad ecclesiam cuius propria esse debent.*

GRAFIA ILLA ] *Comitatu illo. s. ad  
cap. vii.*

APVD IUGALEM MEVM VISA SVM  
CONQUISISSE ] *Tertiani videlicet rerum  
stante coniugio quæsitaram. Plura ad lib. ii.  
cap. xvii.*

DE FILII MEI LVCTVOSA HERE-  
DITATE ] *Ita Papinianus apud Iustinianum  
L. ult. Cod. De institut. & substitut. Luctuosam  
hereditatem ad matrem venire curauit. Iustiniano  
tristis successio. Institut. De senatusconsul. Ter-  
tullian. in pr.*

EMVNITAS SANCTORVM ] *privilegium CAP.  
immunitatis monasterio à rege concessum, qua <sup>xliv.</sup>  
de re plura ad cap. iii. lib. i.*

HOMINIBVS VASSIS NOSTRIS. ]  
*Fortasse Legendum omnibus vassis nostris, aut*

faltem addendum *hominibus & vasis nostris.*

IN CURTIBVS VEL VILLIS ] Villas etiam Curtes dictas fuisse hic locus ostendit, Sic in diplomate Caroli R. pro Corbeia cœnobio *villas seu curtis vel ea qua deinceps in parte ipsius ecclesie voluerit diuina pietas augeri.* & in Traditionibus Fuldensibus lib. II. *iugerum curtiferum* dicitur in quo ædificium rusticum & villula esset. Leg. Salicæ tit. VI. *canem custodem domus sue curtis.* Olim quidem *Cortem* Romani dixere eam villæ partem quæ mœnibus cincta est, & in qua permulta rustica opera exercentur. Varro De re rusticali. I. & Palladius lib. I. Sanè in Synodo Confluentina an. DCCCLX. aliter accipitur: *curtem enim aulam & comitatum principis vocat: in hostem & ad placitum suæ ad curtem veniens.*

RETRIBUTIONES EXACTANDAS ] Exactare pro exigere. Marculfus lib. I. cap. II. Diplomata Ludouici & Caroli Calui pro S. Germano, quæ interfertur continuationi Aimoini lib. V. cap. X. & XXXIII. *Neque seruitia ab eis exactet, neque paraueros aut expensas ad hospitum susceptiones recipiat.* Capitul. lib. III. c. XIV. *Heribannum exactare.*

CAP.  
XLV.

INDICVLVS REGALIS ] Exemplum immunitatis vectigalium à Carolo R. cōcessæ,

NVLLAS VENDITAS ] Vectigal est rerû in foro & publicis nundinis, cuius mentionem in Gallicis quibusdam vetustis instrumentis legisse memini: hodie quidem rerum immobilium *eiōdēxtra* dicuntur *ventes.*

RODATICVM ] Capitul. lib. VI. c. CCXIX. *U*

nullus homo præsumat theloneum per vias, nec per villas, rotaticum, nec pulueraticum recipere. Hodie Rouage, quod vectigalis genus ex vino vendito colligitur. Rotaticum in diplomate Dagoberti R. de mercato S. Dionysij, vbi varia tributorum nomina recensentur, & in præcepto cōfirmationis Pipini R. de eodem mercato, nec de nauigijs, nec de portib. nec de carnis, nec de saumis vllum theloneum vel foraticum seu rotaticum, vel pontaticum, vel portaticum, vel salutaticum, seu cespitaticum, siue mutaticum vel aliquam exactionem aut consuetudinem exigere.

FORATICVM] Præcepta Dagoberti & Pipini, quæ modo exscripsimus. Diploma Ludouici & Lotharij in continuat. Aimoini lib. v. cap. x. hodie certè Foragium ius illud vocamus, quod ex vino minutatim vendito debetur.

PONTATICVM] quod in pontib. pro transitu datur. Capitul. lib. iiii. c. xii. Placuit nobis, vt antiqua & infra thelonea à negotiatoribus exigantur, tam de pontib. quamq; de nauigijs seu mercatis. Idē Carolus imp. & Ludouicus prohibuerūt theloneū exigi vbi necesse nō est fluuiū per pontē transmeare, & ne quis cogatur ad pontū ire thelonei causa. Cap. li. iv. c. xxxi. In Legib. Benearnensiu pōtage.

SEU MERCADA] mercatus.

COMMERCIVS] negotiationis socius.

NEGOTIVM] Negotium, pro re vānali, merx. Sic negotium pro mercatura in Capitul. lib. i. c. cxxx. Si hoc propter necessitatem comparat, vs sibi habeat & alijs tribuat, negotium dicimus.

RELATVM QVOD DICITVR APENNIS] De instru- CAP.  
mētōrū amissione vel exustione, quæ hostiū in- XLVI.  
cursu, aut quolibet alio casu accidit, satis multa

ad xxxiii. cap. lib. i. vbi litterarum principalium exemplum proponitur quæ ab eo qui iacturam passus erat impetrari solebant, ne difficili postea probatione eius iura deteriora fieret. Hæc autem similis quædam formula exhibetur, non tamen à rege, sed à comite data. Quæ, sedente in iudicio comite, testes adhibentur qui alicuius domum cum mobilibus rebus, chartis & instrumentis quæ inerant, incendio consumptam testentur. Ideoque comes eius rei testationem in scriptis redactam concedit, vt res omnes quas hic antea possidebat, in posterum securè etiam possideat.

CHARTVLAM RELATIONIS QVÆ DICITVR APENNIS. ] Sic in Formul. Leg. Rom. cap. xxviii. Quæ autem eius nominis origo sit, mihi planè non liquet, & fortasè mendum est. Sanè dubitavi num legendū esset à pari, quod eandem & parem vim habeat atq; instrumenta amissa: quam vocem à pari & apparibus eodem ferè sensu hac ætate vsitatam fuisse reperio. In Registro B. Gregorij lib. vii. est epistola vt episcopi cum mulieribus non habitent, quæ ad plures Defensores & subdiaconos scripta est: additur apparibus, i. omnib. eodem exemplo, nam etsi pluribus sit inscripta, ad vnum tantum loqui Gregoriū manifestum est. Sic eod. lib. ep. cxii. accipienda est epistolæ inscriptio: *Syagro, Betherio, Virgilio & Desiderio episcopis Galliarum apparibus.* Et apud Hincmarum ep. vi. c. xxviii. *Zozimus PP. ad Aurelium & vniuersos episcopos per Africam constitutos, vniuersosque episcopos per Gallias & septem prouincias constitutos, & vniuersi*

episcopis per Hispaniam constitutis à pari, hoc est eodem exemplo. Aliorum sit iudicium.

CHARTVLAM RELATIONIS QVÆ CAP. DICITVR ] apparet heic *appennis* vocē deesse. XLVII.

HEREDITORIA ] Libellus seu epistola, qua pater filiam naturalem, quam ex propria ancilla susceperat ad hereditatem suam vocat aliàs non successuram.

IACTANTE DENARIO ] iactato denario ante regem. Manumissionis modus, de quo ad lib. I. cap. XXII.

REDEMPTIONALE ] seu *charta redemptio-* CAP. *nalis*, per quam seruus seipsum de peculio suo XLVIII. redimit, & dato pretio libertate à domino donatur, ita vt ab obsequiis omnibus & iure patronatus liber & immunis permaneat. Quod ita demū procedit si sciat dominus nūmos peculiare esse. Alioqui enim, vt est in Leg. Baiuu. c. xv. tit. VII. *Si quis seruus de peculio suo fuerit redemptus, & hoc dominus eius forte nescierit, de domini potestate non exeat, quia non precium, sed res serui sui dum ignorat accipit*, quod caput exscripsit Benedictus Leuita Capitul. lib. v. cap. CCVII.

IN AMICTO ] In veste, ex qua amictus dictione supplendæ lacunæ, s. cap. xv. & xvi.

HEREDITORIA ] Cum Lege Salica filia CAP. XLIX. in antiqua patris alode non succederet, tamen hac formula ad hereditatem admitti potest, vt cum fratribus portionem ferat. Marculf. lib. II. cap. XII. *vt filia cum fratribus in paterna succedat alode.*

LEX SALICA CONTINET ] tit. LXII.

APVD GERMANOS TVOS ] i. cū germanis tuis.

CAP. L. CAVTIO DE VINEA ] oppignatio est vineæ pro debito, cum antichresi.

ARIPENNOS TANTOS ] mensura est terræ, vt & iugerum, acra, bannaria, arialis, opera. Gregor. Turon. lib. v. cap. xxviii. *statuum fuerat vt possessor de propria terra vuam amphoram vini per aripennem redderet. hodie arpent.* Glossæ vett. *Arpendium*, *ἀρέθρα*: quam vocem Scaliger in Diras Valerij Catonis Latinam esse contendit, quasi *arupennium*. Reperio tamen apud Columellam De re rustica lib. v. cap. i. Gallos semiugerum *arepennem* vocasse: nunc certè vt plurimum pro integro iugero accipitur.

CAP. LI SECVRITAS ] de securitate Marculf. lib. ii. cap. xviii. & s. cap. xxxi.

CESISSET ] pro cecidisset.

CAP. LII. DONATIO AD FILIOS ] naturales videlicet, non ex iustis nuptiis procreatos. Pertinet hæc formula ad Legem Romanam.

LEX ET CONSVETVDO EXPOSCIT ] Iure Romano filij naturales patri ex testamento heredes esse poterant in assem: atque adeo in substitutione facta, si sine liberis aliquis decederit, Papinianus existimauit deficere conditionem, si naturales liberi extarēt L. Ex facto xvii. §. Si quis ad Senatusconf. Trebel. L. Generaliter §. vlt. Cod. De institut. & substit. Lege tamen à Valeriano Valente & Gratiano lata, is qui legitimos filios vel nepotes, aut patrem vel matrem haberet, non poterat naturalibus liberis plus vncia relinquere: quod si non essent iusti liberi nec pater aut mater, vsque ad tres vncias filij naturales cōsequi possunt. L. i. Cod. Th. De naturalib. filiis. Anastasius postea cōstituit vt si

AD VETER. FORMVL. 615

quis concubinā vxoris loco habuerit & filios ex ea susceperit, illis posse omnem hereditatē relinquere, non extantib. aliis, L. Iubemus Cod. De naturalib. liberis. Sed id Iustinianus immutauit & ad semisē reduxit L. Humanitatis eod. tandemque reuocauit Nou. LXXXIX. vt in assem institui possent. In Galliis autem veterem vsum seruatum fuisse docet hęc formula, nec obseruatam Valētiniani constitutionē de trib. vnciis: quò pertinent hęc verba, *consuetudo exposcit*, maximēq. propter cōmixtionē exterarū gētū qui naturales liberos à legitimis vix discernabant.

BENE INGENVAM] impari tamen dignitate, alioqui solo affectu vxor esse potuisset.

NATURALES APPELLANTVR] Innuit sine dotalib. instrumētis nō intelligi matrimoniū, nec legitimos nasci liberos. Modestinus tamē inter regulas iuris refert in liberæ mulieris consuetudine non concubinātū esse, sed matrimoniū. L. In liberæ De ritu nupt. Quod ita intelligēdum est si quidē affectu & honore vxoris sit habita. Sane. n. inquit Vlp. nisi dignitate nihil interest. L. Item legato De legatis III. & Papinianus cū dixisset donationes in concubinā collatas non posse reuocari, adiicit, *an autem maritalis honor & affectio pridē precesserit, personis cōparatis, vitæ cōiunctione cōsiderata perpēdendū esse, neq; enim tabulas facere matrimonium.* L. Donat. xxxi. De donat. Sed postea receptū est & Theod. iure probatū, vt inter impares honestate personas nō aliās cōstaret matrimoniū nisi dotalib. instrumētis cōscriptis, nec aliās legitimi essent liberi. L. Si donat. C. de nupt. L. III. C. Th eo. quo referri pnt hui⁹ formulæ verba, sed talis causa, &c. Non dubito

hoc ius postea à Iustiniano immutatum, vt etiã inter impares legitima essent matrimonia sine instrumentis dotalibus L. Imperialis. §. immo Cod. De nuptiis. Quam legem idem refixit Nouel. LXXIV. fixit rursum Nou. CXII. exceptis illustribus viris, quos non aliter matrimonium contrahere voluit nisi dotalibus instrumentis confectis: ceteros ex solo affectu vxores ducere. Sed Iustinianicum ius necdum in Galliis vsu receptum fuisse iam antea animaduertimus.

CAP.  
LIII.

MANDATVM ] Forma mandati ad insinuandam & publicandam superiorem donationem: quo factò eiusmodi naturales liberos legitimos effici & legitimam percipere patris successionem docet hæc formula.

CAP.  
LIV.

GESTA ] Insinuatio & professio apud acta municipalia, stabiliendæ & firmandæ donationis gratia. De eiusmodi gestis vide Marcul. lib. II. cap. XXXVII.

CAP.  
LV.

EPISTOLA ] à procuratore scripta, qua se ex mandato donationem insinuasse refert.

CAP.  
LVI.

GESTA MANVMISSIONIS ] Acta sunt manumissionis in ecclesia celebratæ, ex parte tamen mutila.

ILLE DIACONVS TESTATUR ] primus diaconorum siue archidiaconus. Præerat ille libertatibus quæ in ecclesia dabantur, manumissionisque tabulas conficiebat, vt hæc formula testatur. Leg. Ribuar. tit. LX. qui *seruum suum pro animæ suæ remedio, seu pro precio, secundum legem Romanam liberare voluerint, vt in ecclesia coram presbyteris, diaconibus seu cuncto clero, & plebe, in manû episcopi seruum cum tabulis tradat, & episcopus ar-*

*archidiacono iubeat, vt ei tabulas secundum legem Romanam qua ecclesia viuunt scribere faciat, & tam ipse quam omnis procreatio eius liberi permaneant, & sub iurisdictione ecclesie consistant. Statuit etiam eadem Lex Ribuarua, vt si in iudicio controuersia existat vtrū aliquis liber an seruus sit, & manumissionis tabulæ in dubium vocentur, vt archidiaconus & testes ante regem vel episcopum hac de re iurent: & si verè manumissum fuisse alleuerauerint, multa XLV. solidorum archidiacono debetur. Sin minus, seruum cum pari multa domino archidiaconus restituere iubetur, ex quibus non parum lucis huic capiti accedit. Id ipsum testatur Amalarius Treuirensis, vbi de archidiaconi officio agit, non quidem in vulgatis, sed in Ms. Codice S. Victoris Parisiensis. Gesta, inquit, libertatum episcopo defert. Ebo De ministris Rhemenfis ecclesie, in Archidiaconi officio, libertates liberorum cum testibus probare, alienorum seruorum ad gradus venire volentium exigere: potestatem etiam habens libertatem ecclesiastica propria de familia facere, & alienis exigere.*

VINDICTA QVE LIBERARE ] improprie. Nā aliud est vindicta manumittere, aliud in ecclesia, sed quia vetustissimus plenæ libertatis dandæ modus erat per vindictam, vt manumissi ciues Romani fierent, ideo hoc nomine in manumissione ecclesie vsus est, quæ post constitutionem Constantini eandem vim obtinuit.

DONATIONEM BONÆ MEMORIÆ CONSTANTINI ] Constat manumissionis in ecclesia Cōstantinum auctorem fuisse, quod

præsertim honori ecclesiarum tributum est, sed & libertati, cuius adipiscendæ apud magistratus propter varias ambages maior tum erat difficultas. Tres igitur editæ sunt à Constantino de ea re constitutiones: quarum vna est in Cod. Th. tit. De manumissionibus in ecclesia ad Osum episcopum, eaque postrema, nimirum Crispo & Constantino Cofs. Est alia huic prior in Cod. Iustiniano De his qui in ecclesiis manumittuntur, ad Protogenem episcopum Sabino & Aradio Rufino Cofs. Iam dudum placuit, inquit Constantinus, ut in ecclesia catholica libertatem domini suis famulis præstare possint, si sub aspectu plebis, assistentibus Christianorum antistitibus id faciant, ut propter facti memoriam vice actorum interponatur qualiscumque scriptura, ex quo apparet præcessisse & aliam quæ non extat. Sane Sozomenus histor. eccles. lib. i. cap. ix. asserit tres Constantinum fecisse Leges de manumissionibus in ecclesiis. Auctoris verba quia huic formulæ lucem afferunt visum est adscribere:

ἀξιόν μὴ παραλιπείν τὰ νομοθετηθέντα ἐπὶ τῶν ἐκκλησιῶν ἐν ταῖς ἐκκλησίαις ἐλευθερωθῶν, τῆς πολλῆς δουλείας ἔσσης πρὸς τὴν κτῆσιν τῆς ἀμαίνονος ἐλευθερίας ἐν πολιτείᾳ Ρωμαίων καλεῖται, τρεῖς ἔδειτο νόμοις, ἡ φισάμνος πάντας τῶν ἐν ταῖς ἐκκλησίαις ἐλευθερωθῶν, ὑπὸ μάρτυσι τοῖς ἱερεῦσι, πολιτείας Ρωμαϊκῆς τυγχάνειν. ταύτης τῆς εὐσεβῆς ἐφαρέσεως, εἰς ἔπι γινώσκοντος φέρει τὸν ἑλεγχον, ἔδειτο κρατούμενος τῶν πρὸς τῶν νόμοις, προεγράφεσθαι ἐν τοῖς γρημματέοις τῶν ἐλευθεριῶν. Quæ postrema non est allequutus Latinus Tripartitæ interpres, sed ex hac formulâ interpretationem claram & certam accipiunt.

Huius

AD VETER. FORMVL. 619

Huius manumissionis præclarum extat exemplum apud Ennodium Ticinensem episcopum de Gerontio Agapiti seruo, vbi elegantissimum ex B. Augustini sermonibus nondum editis locū adfert eruditissimus Sirmōdus. Est etiam ea de re Aurelianensis inscriptio, quam multi exscripsere, quam tamen posterioris ætatis esse existimo, circa tertiæ regum nostrorum familiæ primordia.

EA TAMEN CONDITIO ] Etsi nulla lacunæ nota in Ms. heic apponatur, quædam tamen deesse manifestum est, ea scilicet quæ ad gesta manumissionis de qua agitur pertinent.

AD VETERES FORMVLAS SE-  
CVNDVM LEGEM ROMANAM.

DONATIO ECCLESIAE ] Donationum CAP. I.  
eiusmodi exēpla varia Marcul. tradit li. II.

IN CONDITA ILLA ] In designandis locis solent hæ formulæ *condita* vocabulum vsurpare, quod nec apud Marculfum & Incerti auctoris formulas reperitur, nec etiam alibi facile occurrit. Quo nomine certum locum & territorium designari apparet. Sic in donatione Haganonis ad S. Martinum Turonensem cuius particulas antea protulimus. *Fridegiso Abati trado mansum nostram dominicatum, quem extra consortium fratrum in hereditate habemus, in pago Blesensi, in condita ponte Lapidense, in villa Bliderico, &c. partibus S. Martini tradimus cum hominibus ibidem commorantibus, quos colonaris ordine viuere constituimus, &c. Data XVII. KL. Iunij Anno V. HLudouici*

Qq

serenissimi imperatoris. In alio vet. instrumento eiusdem cœnobij, in pago Blesensi, in condita Cabri- niacensi, in loco nuncupante *Aluarias*.

CVM OMNI SVPRAPOSITO ] Synodi Meldensis c. xvii. *Vt res ecclesiastica tempore principatus vestri ablata ex integro presentaliter restituatur & restituta conseruetur, sicut tempore aui & patris vestri fuerunt, excepto superposito, quod ad usus possidentium absumptum est.* Suprapositum Græcis ἐπιθήκη. In L. Titia xxxiv. §. Lucius Titius De Legatis II. Βύλοιμα ἀντὶ παρ' ἑαυτῆς λαβεῖν χρεῖον. Γὰρ αὐτῶν τῶν ἐπιθήκων ἀντὶ πάντων. Quæ Papiniano. *Dotēs prædiorum*, L. II. De instruct. & instrument. leg. appellantur etiam *reposita*. L. si mihi Ma- uia xcii. §. vlt. De Legatis III. Enthecā dixit B. Augustinus quicquid nauī imponitur, Sermon. Ad fratres in eremo. Can. Nolo xii. q. i.

CAP. II. MANDATVM ] vt superior donatio apud acta publicetur, & insinuetur. Marculfus lib. II. cap. xxxviii. Incert. Auct. cap. LIV.

CAP. III. GESTA ] Marculf. lib. II. cap. xxxvii. Incert. Auct. cap. LIV.

VENDITIO ] Marcul. lib. II. c. XIX. XX. XXI. Incert. Auct. cap. XIV.

CONDITA ILLA ] §. cap. I. & passim his formulis.

CAP. V. CALVMNIAM VEL REPETITIONEM ] Calumnia vt antea monuimus in veteribus instrumentis & apud Marculfum & alios formularum auctores pro actione accipitur. Inde uertitis vernaculis scriptorib. *calāger*, & antiquissima quæque diplomata calumnam *calange* interpretatur. Rogerius Houedenus Annal. part.

AD VETER. FORMVL. 611

poster. de controuersia inter Castellæ & Nauarræ reges, cuius Hæricus II. Angliæ R. arbiter erat: *Calumnia regis Castellæ. Rex Aldefonsus Castellæ & Toleti conqueritur & petit à rege Sanctio Nauarræ auunculo suo sibi fieri restitutionem, &c. postea, Tunc surrexerunt episcopus Pampelunæ & alij nuntij regis Nauarræ, & nihil eorum quæ ab aduersariis suis proponebantur contradicentes, scriptum quoddam, in quo petitiones & calumnia & allegationes suæ scribebantur protulerunt in hac forma. Calumnia regis Nauarræ. Petit Sanctius rex Nauarræ Cudeio monasterium, montem de Oca, &c.*

OBLIGATIO ] Precariæ species est, quæ CAP. VI.  
Obnoxio à Marculfo appellatur lib. II. c. IX.

PRECARIA ] Marculf. lib. II. cap. V. & XLI. CAP. VII.  
Incert. Auét. cap. XXVII. & XLI.

VENDITIO DE SERVO ] Marculf. lib. CAP. IX.  
II. cap. XXII.

VENDITIO DE SEMETIPSO QV ALI- CAP. X.  
TER HOMO LIBER VENVDETVR.]

Quod heic dicitur de libero homine qui seipsum vendit, non omnino conuenit cum iure Romano, de eo qui ad pretium participandum venundari passus est, ideoq. ad libertatem proclamare non potest, nec manumissus pristinam ingenuitatem recipit. L. v. L. Et seruorum XXI. De statu hominum L. VII. De liberale causa, quod etiam in desuetudinem abiisse Græci notant, lib. XXIX. Basilic. Non enim seipsum vendebat, sed ob participationem pretij ab alio venire patiebatur, ignorante emptore: nam si ille sciens liberum emerit, ad libertatem venditus proclamare potest L. Liberis VII. §. Si quis

Q. q. ij

sciens De liberali causa. Heic vero liber homo pretio accepto emptori scienti prudentique seipsum addicit. Quo pertinet insignis locus B. Augustini in Sermone. *Hic mos solet inter ementem vendentemque seruari, ut is qui se alieno cupit dominio mancipare aliquid pretij pro iactura propria libertatis & additione proprie seruitutis à suo consequatur emptore.* Gregor. Turonensis lib. vii. cap. xlv. de fame quæ per Gallias grassabatur, *Graviter tunc negotiatores populum spoliaverunt, ita ut vix vel modium annonæ aut semimodium vini uno triente venundarent: subdebant se pauperes seruitio ut quantulumcumque de alimento porrigerent.* Leg. Baiuar. cap. vi. tit. v. *quamvis pauper sit tamen libertatem suam non perdat nec hereditatem suam, nisi si spontanea voluntate alicui tradere voluerit, hoc potestatem habeat faciendi.* Quinimo & seipsum pignoris loco dare mos erat, Leg. Baiuar. cap. ii. tit. i. *§. Si vero non habet, ipse se in seruitio deprimat & per singulos menses vel annos quantum lucrare quiverit, persoluat cui deliquit, donec uniuersum debitum restituat.* Capitul. lib. iii. c. xxix. *Liber qui se loco vady in alterius potestate commiserit, &c.* Tacitus etiam refert Germanos alexæ ita deditos fuisse, ut extremo ac nouissimo iactu de libertate & de corpore contendant. *Victus, inquit voluntariam seruitutem adit: quamvis iunior, quamvis robustior alligari se ac venire patitur.*

CAP. XI [EPISTOLA COLLECTIONIS] Formula est qua matricularij ecclesiæ alicuius testantur se puerum expositum collegisse, & certo pretio eum vendidisse secundum Legem Romanam. De expositis infantibus varium fuit

ius, nec olim satis certum. Id indicat Plinij ad Traianum consultatio, & eiusdem Traiani rescriptum de his qui liberi nati, expositi, & in seruitute educati sunt, quos vocant *Spei*: de quorum conditione & alimentis cōsultenti Plinio Traianus non putat adsertionem denegandam iis qui ex eiusmodi causa in libertatē vindicabuntur, nec ipsam libertatem redimendam pretio alimentorum. Tamen propter alimenta quasi vice pignoris retineri potuisse ostēdit M. Quintilliani Declamatio cclxxviii. De exposito quem pater recepit: *Vis, inquit, scire quam pater non fueris, recipere illum nisi soluris alimentis non potuisti, & tibi vt pater esse incipias emendus.* Quo etiam pertinet Diocletiani cōstitutio in L. Pater xvi. C. De nuptiis. Constantinus vero statuit vt qui proiectum de domo voluntate patris vel domini collegerit, ac suis alimentis ad robur prouexerit, eundem retineat sub eo statu quo voluerit, id est siue vt filium, siue vt seruum, nec posse patrem vel dominum repetere L. i. Cod. Th. De expositis. Multo magis si dominus vel patronus exposuerit, omnis repetitio denegatur aduersus eum qui misericordia ductus collegit, L. ii. eod. in qua adiicitur, *si modestes episcopalis subscriptio fuerit subsecuta, de qua nulla penitus ad securitatem possit esse cunctatio.* Extant etiam ea de re varia synodorum decreta. Synodi Arelatensis ii. c. xxxii. *Si expositus ante ecclesiam cuiuscumque fuerit miseratione collectus, contestationis ponat epistolam. Et si is qui collectus est, intra decem dies quasitus agnitusque non fuerit securus habeat qui collegit. Sanè qui post pradietum tempus*

calumniator extiterit, vt homicida ecclesiastica distri-  
 ctione damnabitur, sicut patrum sanxis auctoritas.  
 Synodi Vasensis, quæ Theodosio iun. & Dio-  
 scoro Cofs. habita est, c. ix. De expositis quia collata  
 ab omnib. querela processit, eos non misericordia iam, sed  
 canibus exponi, quos colligere calūniarum metu quam-  
 uis infelix à præceptis misericordie mens humana de-  
 trectet, id obseruandum est, vt secundum statuta fide-  
 lissimorum Augustorum, piissimorumque principum,  
 quisquis expositum colliget, ecclesiam contestetur, post  
 contestationem colligat. Nihilominus de altari, dominico  
 die, minister annunciet ab ecclesiastico expositum esse  
 collectum: vt intra dies decem ab expositionis die exposi-  
 tum recipiat, si quis se probauerit agnouisse, collectori  
 pro ipsorum x. dierum misericordia prout valuerit ad  
 presens retribuat, aut in perpetuum cum Dei gratia, si  
 voluerit possideat. Si quis expositorum hoc ordine colle-  
 ctorum repetitor vel calumniator extiterit vt homicida  
 habendus est. Benedictus Leuita Capitul. lib. vi. c.  
 cxlii. Atque etiam Matiscensis Synodus apud  
 Burchardum iubet, vt à presbyteris illud annū-  
 cietur non interficiendos liberos, sed potius  
 alienæ misericordie exponendos, idq. ne puel-  
 læ quæ clanculò corruptæ concepissent libe-  
 ros interficerent. Itaque hæc formula ad exe-  
 cutionem cuiusmodi legum & canonum perti-  
 net. Contra tamen Iustinianus definiuit expo-  
 sitos esse liberos & ingenuos, licet serui nati  
 sint, nec vindicari posse ab eo qui exposuit, nec  
 ab eo qui emit vel sustulit, ne ex pietatis officio  
 lucrum faciat. L. iii. Cod. De infant. expositis.

MATRICVLARII ] Matriculam pro in-  
 dice, albo seu notitia, accipi notum est. Præter

innumeras imp. constitutiones quæ eo vocabulo vtuntur, Vegetius De re militari lib. ii. c. v. *punctis milites inscripti & matriculis inserti iurare solent.* Eodem sensu matriculæ ecclesiarum in Testamento B. Remigij dicuntur catalogi pauperum, qui ab vnaquaque ecclesia stipendia recipere soliti erant: *pauperibus duodecim in matricula positus: ante fores ecclesie expectantibus stipem duo solidi vnde se resciant inferantur.* In Testamento Sonnatij Rhem. episcopi apud Flod. lib. ii. c. v. *Ad matriculam Rhemensis ecclesie, nonnulla contulit donaria. Ceteris quoque matriculis vel congregationibus diuersa delegauit munera.* Quem morem apertissime describit Hincmar. ep. vii. cap. xxx. episcopi de matriculariis per singulas ecclesias iuxta facultatem & possibilitatem loci curam adhibeant, ne presbyteri pro locis matricula xenia accipiant, ne suos parentes sanos & robustos in eadem matricula collocent, nec opera ab ipsis matriculariis exigant, non de matriculariis bubulcos & porcarios faciant, sed pauperes ac debiles & de eadem villa de qua decimam accipiunt matricularios faciant. quo loci matricularij dicuntur qui in matricula inscripti sunt, vt etiã apud Greg. Tur. lib. vii. c. xxix. *Nonnulli matriculariorum & reliquorum pauperum pro scelere commisso tectum cellula conantur euertere.* Sed in hoc capite & alibi passim qui in singulis ecclesiis matriculæ pauperum curam agebant & eorum stipendia dispensabant matricularij appellantur, hodie *marguilliers* rerum ecclesie administratores. Matricularios porro custodes ecclesiarum Vandalbertus diaconus interpretatur. Vidit hanc formulam Cuiacius, eiusque partem exscribit

ad Sentent. Pauli lib. v.

AD OSTIA IPSIVS ECCLESIAE ] ibi enim exponebantur. Synodi Matiscensis ca. vi. apud Burchardum, decretum est vt vnusquisq. presbyter in sua plebe publicè annunciet, vt si aliqua femina clanculo corrupta conceperit, & pepererit, nequaquam diabolo cohortante filium aut filiam suam interficiat, sed quocumque praualet ingenio ante ianuas ecclesie partum deportari, ibique poni faciat, vt coram sacerdote in crastinum delatus ab aliquo fidei suscipiatur & nutriatur. Sic & apud Treuiros obseruari testatur Vuandelbertus Diaconus in Vita B. Goaris, cuius verba, quod omnino huic formulæ conueniant subiicere non piguit, quæ eadem notata sunt in eruditissimo Capitul. Glossar. Moris tunc Treuirorum erat, vt cum casu quolibet femina infantem peperisset, cuius nollet sciri parentem, aut certè quem præ inopia rei familiaris nequaquam nutrire sufficeret, ortum paruulum in quadam marmorea concha, qua ad hoc ipsum statuta erat, exponeret, vt in ea cum expositus infans reperiretur existeret aliquis qui eum prouocatus miseratione susciperet & enutrirer. Si quando igitur id contigisset, custodes vel matricularij ecclesie puerum accipientes, querebant in populo si quis fortè eum suscipere nutriendum & pro suo deinceps habere vellet. Vbi vero ad eam rem offerret sese aliquis, infans qui esset expositus episcopo deferretur, & eius priuilegio auctoritas nutriendi habendique paruuli ei qui à matricularijs susceperat firmabatur.

SANGVINOLENTVM ] recens natum, rubentem à matre L. i. Cod. Th. De expositis. L. ii. Cod. De patribus qui filios distrax.

PER TRIDVVM SEV AMPLIYS ] Tri-

duum heic exempli causa apponitur. Nam Decem dies præfinitur Synodo Arelatensi II. c. XXXII. & Synodo Vafensi c. IX.

LEGIS ORDINEM ] L. I. Cod. Th. De expositis.

EX CORPore THEODOSIANI LIBRI QVINTI ] L. I. C. Th. De his qui sanguinolentos emptos vel nutriend. accep. quæ licet de expositis non loquatur, tamen par est ratio & idem ius. Itaq. heic profertur vt appareat vëditionem à matriculariis factam ratam manere, & ex ea emptori ius esse infantem in suo seruitio retinere.

SI QVIS INFANTEM ] Non ex verbis Legis, sed ex interpretatione Aniani hæc sententia desumpta est.

INGENVITAS ] Manumissionis est formula quæ in ecclesia celebratur, qua de re plura ad Incer. Auct. Formul. cap. VIII. & cap. XVI. Exemplum porrò huiusce manumissionis, huic formulæ plane genuinū ex incerto quodā concilio Toletano exhibet Burch. lib. II. c. XXX. CAP. XII.

EAT PERGAT PARTEM QVAM MALVERIT ] Clausula in manumissionibus frequentissima, & certè apud veteres sola ferè libertatis dādæ formula. Apertè id Plautus variis locis declarat, vt in Menæchm. Act v. sc. VII. *Mea quidem herclè causa liber esto, atque abito quo roles, cui seruus Salue mi parrone.* Vnde & ἐλευθερία appellatā Grammatici testantur, quasi ea præcipuè nota libertatis sit quo libuerit proficisci. Nihil enim, inquit Venuleius, multū à specie seruitium differunt, quib. facultas non datur à loco recedēdi. Ideoq. Papinian⁹ eiusmodi cōditione vt in illa

ciuitate domicilium habeat quis, ius libertatis aliquatenus infringi existimabat. L. LXI. §. Titio centum De conditionibus & demonstrat. Burchardus lib. II. cap. XXVI. eandem pergat partem quamcumque volens canonicè elegerit. §. in Formul. Incert. Auc̃. cap. LVI. ea tamen conditione ut eat ubique: quam voluerit partem pergat, tanquam si ab ingenuis parentibus fuisset natus vel procreatus.

CAP.  
XVI.

CHARTA IN PVELLAM FACTA ]  
Marcull. lib. II. cap. XVI.

VIVENTIBVS PATRIBVS INTER FILIOS FAM. ] Paulus sentent. lib. II. tit. XIX. Eorum qui in potestate patris sunt, sine voluntate eius matrimonia iure non contrahuntur, sed contracta non solvuntur, contemplatio enim publicæ utilitatis priuatorum commodis præfertur: cui sententiæ interpretationem Anianus seu quis alius adiecit, ex qua huius formulæ verba desumpta videntur. Videndus Cuiacius Obseruat. lib. III. cap. V.

CAP.  
XVII.

DONATIO INTER VIRVM ET VXO- REM QUÆ GESTIS SIT ALLIGATA ]  
Constantinus in L. I. Cod. Th. De sponsalibus. Pater noster nullam voluit liberalitatem valere si actis inserta non esset. Nos etiam inter sponsos quoque ac sponsas omnesque personas eam solam donationem ex promulgata legis tempore valere sancimus, quam testificatio actorum sequuta est. De gestis dictum est ad Marcull. lib. II. c. XXXVII.

SCRIPTVRARVM NECESSE EST TITVLIS ALLIGARI ] Anianus ad L. I. Cod. Th. De donat. In conscribendis donationibus hic ordo seruandus est, ut donatio nomen prius contineat donatoris, vel illius cui donatur, deinde res quæ do-

*natur, siue in agris sicut in mancipiis, siue in quibuslibet rebus atque corporibus nominatim in donatione conscribenda sunt non occultè sed publicè, non priuatim vel secretè, sed aut in tabulis, aut in chartis, aut vbi- cumque legatur facta donatio, &c.*

QVIA SECUNDVM LEGEM ] hæc superioribus non cohærent, nisi dicas quia pro deinde positum esse.

APVD DONATOREM EA QVÆ DONATA FVERANT REMANEVNT ] Verba sunt Aniani seu cuiuscumque alterius ad Pauli Sentent. lib. II. tit. XXIII. Sententia Pauli hæc est. *Si inter virum & uxorem donatio facta fuerit, priore defuncto cui donatum est, ad eum res redit qui donauerat.* L. Si inter IX. De rebus dubiis. Quod Seueri oratione constitutum est. L. Cum hic status XXXII. §. si ambo. De donation. int. vir. & vxor.

QVARTAM VERO LEGITIMIS HEREDIBVS MEIS RESERVO ] Anianus ad L. I. Cod. Th. De donationibus. *Quæ tamen omnes donationes superius comprehensa, si modum excesserint lege conscriptum, vnde possint certæ personæ de immodica donatione proponere, hoc est si quartam sibi facultatis suæ donator non reseruauerit, non valebunt.* In donationibus etiam inter virum & uxorem Falcidia locum habet. L. Cum hic status XXXII. §. Oratio De donation. int. vir. & vxor. L. In donationibus XII. Cod. Ad Legem Falcidiam.

CVM STIPVLATIONE AQUILIANA ] Aquilianæ stipulationis nomen propriè huic rei non conuenit. Per eam namque omnes præ-

cedentes obligationes nouantur, & in stipulatum deducuntur, vt per acceptilationem tolli possint. Sed quia huiusmodi stipulationis vis erat maxima ad firmandum quod agebatur, inde factum arbitror, vt & in aliis actibus mentio fieret Aquilianæ stipulationis.

CAP. LIBELLVS REPVDII] Marculf. lib. II.  
XIX. cap. xxx.

CERTIS REBVS ET PROBATAIS CAUSIS] ex Aniano ad L. I. Cod. Th. De repudiis. In qua Constantinus tres tantum diuortij causas probat, si homicidam vel medicamentarium vel sepulchrorum dissolutorem maritum suum esse fœmina probauerit. Quod si præter hæc tria crimina repudium miserit, vique ad acuculam capitis in domo mariti deponere eam oportet: & præterea deportatur.

CAP. LEX ROMANA EXPOSCIT VT QUI  
XX. CVMQVE VXORIS SVÆ NEGOTIVM FVERIT PROSEQVTVS] verba Aniani ad L. IV. Cod. Th. de cognitorib. & procurator. Cui conuenit & alia Constantini constitutio in L. Maritus Cod. De procurator.

CAP. QVICQVID PATER VNVMQVEMQVE  
XXI. EX FILIIS VEL NEPOTIBVS HABERE VOLVERIT] j. c. prox. *Quicquid filiis vel nepotibus de facultate patris cognoscitur ordinasse voluntatem eius in omnibus Lex Romana constringit adimplere. Lex quæ heic indicatur constitutio est Constantini L. I. C. Th. De familia erciscunda, huiusmodi conscriptiones inter suos duntaxat heredes valere oportet, paulò post, considerari specialiter voluntatem placet, & obsecundari protinus cum res diuiduntur, nec*

retineri amplius, quam quod singulorum personis delegatur adscriptum, ut & memoria defuncti non violetur parentis, & occasiones litium dirimantur. Id ipsum statuitur in L. vlt. Cod. Familæ erciscundæ, quæ & ipsa Constantini est ad Bassum P. R. P. Sed & olim Papinianus dixerat non videri simplicem donationem, sed potius supremi iudicij diuisionem, cum pater inter filios sine scriptura bona diuisit, & onera æris alieni pro modo possessionum distribuit: L. Si filia xx. §. si pater. Familæ erciscundæ.

EPISTOLA QUALITER NEPOTES IN CAP. LOCO FILIORVM INSTITVNTVR AB AVO ] Leg. *filiarum*, de nepotibus enim ex filia

tatum heic agitur. Vix est vt Romana sit obseruatio hoc casu codicillis opus esse, cum nepotes quoque ex filia Iure Romano ad aui successionem admissos constet, licet cum tertiæ partis deminutione: nisi hoc ipsum agatur, vt sine tertiæ deminutione eiusmodi epistola vice codicillorum ad hereditatem aui vocentur. Quæ de re nonnulla diximus ad Marculf. lib. II. c. x. Huius formulæ partem exscribit Cuiacius sub Marculfi titulo ad Nouel. cxviii.

LEX ROMANA ] L. i. C. Th. de fam. erciscundæ.

CVM CVRIA PVBLICA ] Anianus ad L. CAP. II. Cod. Th. De legitimis hereditat. *adoptiuum*, id est gestis ante Curiam ad filiaturum. XXII.

LEX ROMANA CONSTRINGIT VT QUI TVTORES NOLVERINT ESSE ] ex ANIANO IN L. i. Cod. Th. qui petant. CAP. XXIV.

PACTVM INTER PARENTES ] Marculf. lib. II. cap. xiv. Incert. Auct. cap. xxxix. CAP. XXV.

LEGEM ROMANAM ORDINANTEM ]  
 L.VIII. Cod. Th. De pactis & transactionibus.  
 Si quis, inquit Arcadius & Honorius, maior an-  
 nis aduersus pacta vel transactiones, nullo cogentis ma-  
 perio, sed libero arbitrio & voluntate confecta putave-  
 rit esse veniendum, vel interpellando Iudicem vel sup-  
 plicando Principibus, vel non implendo promissa ea qua  
 inuocato nomine Dei omnipotentis, eo auctore solidave-  
 rit, non solum inuratur infamia, verumetiam actione  
 priuatus, restituta poena, qua pactis probatur inserta,  
 earum rerum & proprietate careat, & emolumento,  
 quod ex pacto vel transactione illa fuerit consecutus.  
 Verba autem quae heic inseruntur Aniani sunt.  
 Eadem ferè praefatio adhibetur in veteri in-  
 strumento commutationis, quae inter Rober-  
 tum Comitem & Actardum Nannetensem  
 episcopum facta est regnante Carolo Caluo R.  
 Est autem eiusmodi. Commutationes quas leges Ro-  
 manae transactiones appellant, inter certas personas fa-  
 ctae post legitima tempora, id est xxx. etatis annos ha-  
 bentes sub inuocatione nominis Dei & designatione  
 Regis inuisiolabiliter permanere decernuntur, quas qui  
 soluit & violat ut infamis notatur, & quod accipit com-  
 mittit, & summa quae in scripto continetur multatur.  
 Igitur placuit atque conuenit inter illustrem virum  
 Rotbertum Comitem, necnon & Actardum venerabi-  
 lem Nannetensis sedis episcopum, &c. Et fieri placuit  
 duas cartolas & bonorum hominum manibus roborata-  
 tas. Placuit etiam hoc inserere, ut qui pari suo calum-  
 niam ex hoc postmodum vel successorum tentauerint in-  
 ferre, sub inuocatione diuini nominis, & Regis Karoli,  
 inuicem C. cogatur multam persolvere. Actum Bleso  
 castro, publice. Signum Rotberti Comitis qui hanc com-

mutationem fieri vel firmare rogavit Ssg. Godobei de cuius beneficio fuit. Data mense Madio Anno xxv. regnante Karolo gloriosissimo Rege.

CONFIRMATIO REGIS, &c. ] Marcul. lib. i. c. xxxiii.

CAP. XXVII.

ITEM APENNIS ] Incert. Auct. c. xlvi.

CAP. XXVIII.

EDITIO LEGIBVS COMPREHNSA ]

CAP. XXIX.

huius capituli duæ sunt partes. Prima continet formulam qua actor qui rem aut locum vindicat aduersario nolente aliter respondere cauet de sumptibus & litis expensis secundum leges soluendis, si actio iniusta reperiatur. Altera pertinet ad inscriptionem quam accusator edere tenetur in causa criminali, per quam se simili poenæ subiicit. Itaque heic editionis nomen cautionem eiusmodi seu declarationem significat.

IN QUADRUPLVM ] Singulare est quod heic dicitur appellansem teneri aduersario expensas post appellationem factas in quadruplum refundere si iniusta appellatio fuerit comprobata. Qua autem lege id constitutum fuerit in præfenti non occurrit.

INSCRIPTIONEM DE SVMP TIBVS ET EXPENSIS ] Est igitur etiam in actione civili inscriptio, hoc est cautio seu repromissio in iure de impensis ab actore aduersario reddendis, si temerè litigasset.

QVICVMQVE ALIVM ] Verba sunt Aniani ad L. xiv. Cod. Th. De accusat. & inscription.

DE HOMICIDII CRIMINE ] non in homicidij tantum accusatione, sed cuiuscumque alterius criminis, inscriptionem præcedere

oportet In L. xi. Cod. Th. De accusation. Nul-  
 lus inquit secundum iuris perscriptum, crimen quod  
 intendere proposuerit exsequatur, nisi subeat inscriptio-  
 nis vinculum. Etenim qui alterius famam, fortunas, ca-  
 put deniq; & sanguinem in iudicium deuocauerit, sciat  
 sibi impendere congruam pœnam, si quod intenderit non  
 probauerit. Cui conuenit L. Si cui vii. De accu-  
 sation. & L. In causis xvi. Cod. eod. Symma-  
 chus lib. x. ep. vlt. Quid habeat conditionis inscriptio  
 nostis præ cæteris iuris publici conditores, Imperatores.  
 Prouisum est enim ne quis temere in alieni capitis di-  
 scrimen irrueret ni se idem prius pœna sponsione  
 vinceret. tum subiicit, supererat ut crimine non pro-  
 bato in accusatorem formidata reis pœna transiret.  
 Formulam autem seu conceptionem libelli in-  
 scriptionis tradit Paulus in L. iii. De accusat.

ET SI SERVVM ALIENVM ] L. Si quis  
 seruos xiii. Cod. De accusation: quæ pars est L.  
 xiv. C. Th. eod. ex cuius interpretatione Aniani  
 hæc desumpta sunt.

CAP.  
 xxx.

RELATIO CVM IUDICIO ] Continet  
 relationem iudicis qui refert se cum venisset in  
 aliquem locum in quo homo interfectus iace-  
 bat, & quæstionem de cæde habuisset, ex testib.  
 accepisse eum qui interfectus est impetum in  
 alterum fecisse & grauiter cæcidisse, adeo vt il-  
 le coactus sit vim repellendo eum interficere.  
 quod idem cum assereret interfecto, iudex  
 pronunciauit vt intra xl. dies manu sua tricesi-  
 ma septima in ecclesia iuraret, se necessitate  
 compulsus cum aliter vim effugere non pos-  
 set eum occidisse quo facto impune ei erit.

SI QVIS AD RAPINAM FACIENDAM ]  
 Desum-

Desumpta hæc sunt ex l. ii. Cod. Th. Ad legem Corneliam de sicariis, seu potius ex Aniani interpretatione. *Quoties, inquit, ad faciendam raptinam, aliquis aut iter agentem aut domum cuiuslibet noturnus expoliator adgreditur, huiusmodi personis, quæ vim sustinent, damus etiam cum armis licentiam resistendi, & si pro temeritate sua occisus fuerit ille, qui venerit, mors latronis ipsius à nemine requiratur.*

QVI AD IPSOS VCCOS CVCVRRE-  
ANT ] Vccos accipio pro ictibus, coups.

LIVORES VEL CAPVLATURÆ ] Marc-  
culf. lib. i. cap. xxix. Capulare vero truncare est,  
exscindere vel frangere, Vet. gloss. apud Pithœ-  
um ad leg. Sal. tit. ix. Leg. Salicæ tit xxxi. ii. *Si  
quis pedem alterius capulauerit, & ibi manatus re-  
manserit; Itaque capulaturæ vulnera sunt & pla-  
gæ gladio factæ.*

IN SVA MOVITA ] nobis esmeutte.

FORBATVDVM FECIT ] Vide s̄ ad in-  
cert. auct. formul. cap. xxix.

IN NOCTES XL. ] Quadraginta dierum  
tempus vt plurimum præfinitum erat, cum ali-  
quis iurare iuebatur: Adnuntiatio apud Pistas  
cap. xxxiii. *Et quia sacramenta post quadraginta no-  
ctes legaliter iuranda accipiuntur, &c.*

BREVE SACRAMENTI ] Formula sacra-  
menti in Ecclesia præstiti post superiorem sen- CAP.  
tentiam. Gregor. Turon. lib. iv. cap. xlvi. re- xxxi.  
*quirit hominem alium, Vrsun nomine, quem ad altare  
clam adductum iurare fecit ac dicere: Per hunc locum  
sanctum & reliquias martyrum beatorum, &c. Facto-  
que ex hoc iuramento, breue sacramentorum regi protu-*

lit. Breue seu breuis chartula est siue libellus. Lampridius in Alexandro, *milites suos sic ubique sciuit vt in cubiculo haberet breues & numerum & tempora militantium*, idemque postea pittacia pro breuibus vsurpat. In l. v. De conueniendis fisci debitoribus Cod. lib. x. *inter chartulas confiscati breuis quidam adseueratur inuentus qui nomina continebat debitorum & contractuum*. Capitul. lib. iii. cap. LXXXII. *describere in breue*. Vnde & in breuiare Synodi Meldensis cap. xx.

CAP.  
XXXII.

SI QUANDO MASCVLVS ET FOEMINA PARITER RAPTVM CONSENSERINT INFRA QVINQVENNIVM LITIGETVR ] Raptus accusationem non tantum ipsi parentes, sed & quilibet alij quos commune odium delictorum mouerit instituere possunt: dum tamen intra quinquennium id faciant, alio qui nulli deinceps copia est arguendi, nec de coniugio aut sobole disputandi, l. iii. Cod. Th. De raptu virgin. Illud est quod hoc lemmate indicatur. Itaque hac formula cum quidam de raptu aliquem accusasset, & mulierem quoque, quod pariter consensisse diceretur, de scelere confessis capitalis pœna irroganda erat. Sed tandem quorundam intercessione res ita composita est, vt illi certa pecuniæ summa vitam redimerent: testatione habita intra quinquennium accusationem institutam, & accusatoris causa & reorum ne deinceps ab aliis eiusdem criminis rei postularentur.

VITÆ PERICVLVM ] L. i. & ii. Cod. Th. de raptu virginum.

VVADIOS SVOS ] Vuadium pignus est

nobis *gage*; quod à vade deductum esse apparet. Synodi Cabilonenfis c. xviii. Capitul. lib. ii. cap. xxxviii. Leg. Baiuuar. cap. i. tit. vi. 3. *ad partem fisci pro fredo præbeat fiderufforem, & donet vuadium de xl. solidis.* cap. iii. tit. i. *donet vuadium Comiti illo de fredo sicut lex est,* cap. xxiv. tit. i. *Dicat hæc verba, & cum dextera manu tradat, cum finit fra porriget vuadium huic qui de terra ipsa cum malla per hæc verba, Ecce vuadium tibi do quod tuam terram alteri non do,* ex quibus dici potest sæpè pro vuadio non pecuniam modo, sed etiam rem quamlibet datam fuisse. pro symbolo scilicet sponfionis. Sic in Chron. Diuionensi. *Fulchardus per vuadium suum & cultellum suum cum fistuca & cespice coram presentia bonorum hominum, qui ibidem aderant se exutum fecit & secundum legem suam missis B. Benigni publicè tradidit.*

IUDICIUM EVINDICATVM ] Marcul. CAP. XXXIII.  
lib. i. cap. xxxvii.

EPISTOLA ABATIS VEL RECTORIS ECCLESIE ] Concessio precariæ, charta præstationis. Marcul. lib. ii. cap. xl. CAP. XXXIV.

CESSIO A DIE PRÆSENTE ] Donatio. CAP. XXXVI.  
NON OCCVLTE SED PVBLICE ] Anianus ad L. i. Cod. Th. De donation. *non occultè, sed publicè, non priuatim vel secretè, sed aut in tabulis, aut in chartis, aut vbi cumque facta legatur donatio.*

MINISTERIALIBVS ] colonis, villicis, CAP. XXXVII.  
qui villas colunt, & in iis deseruiunt. Flodoardus Hist. Rhemenf. lib. iii. c. xxviii. de Hincmaro; *Plebeis quoque quibusdam personis, villarum scilicet ministerialibus pro rebus ministeriorum suorum*

nonnunquam scribens prudenter atque rationabiliter disponebat, qualiter res sibi commissas tractare deberent. Aliquando tamē ministeriales pro vallis & vasallis dicuntur, qui ab alio feudum habent. Capitul. lib. III. cap. xxx. *si homo liber vel ministerialis comitis hoc fecerit, honorem qualemcumque habuerit siue beneficium amittat.* Diploma donationis à Carolo simplici in Odonem Comitem collata Narbonæ an. XII. regni, indictione XII. *Odonem dilectissimum comitem & ministerialem nostrum de rebus proprietatis nostra honorare decreuimus.*

CAP.  
XXXIX.

SECURITAS ] Marculf. lib. II. cap. XVIII.  
Incert. auct. cap. xxxii. & LI.

CAP.  
XLI.

ET DE ANNIS XXX. ] Constitutionem edidit Theodosius imp. de præscriptione xxx. annorum, vt testantur Theodosius iunior & Valentinianus III. Nouel. lib. II. tit. VIII. *Lex domini patris clementia mea, Theodosij perennis Augusti, qua virtutum suarum morem secutus, humano generi profunda quiete prospexit, constituens post xxx. annos nulla penitus iurgia, que medio tempore nota non fuerant excitari.* Quod ipsum sanxit Valentinianus Nou. lib. II. tit. XII. De episcopali iudicio, & diuersis negotiis, ad quam Anianus. Sidonius Apollinaris lib. VII. ep. VII. *Per ipsum ferè tempus, vt deceniualiter loquar, lex de præscriptione tricennij fuerat proquirata: cuius peremptorijs abolita rubricis vis omnis in sextum tracta quinquennium terminabatur.* Vbi plura doctissimus Sauaro.

CAP.  
XLI.

BREVE SACRAMENTI ] s. cap. xxxi.

CAP.  
XLII.

VENDITIO DE AREA ] Marculf. lib. II. c. XX.

EVACUATORIA ] Marculf. lib. II. cap. CAP.  
xxxv. Incert. Auct. cap. xxxvi. XLV.

DE CAUSIS COMMENDATIS ] Man- CAP.  
datum. Marculf. lib. II. cap. xxxi. XLVI.

## AD VARIAS FORMVLAS.

INCIPIUNT CHARTÆ REGALES SEV  
IPARENDALES ] Perperam his formulis  
chartarum regalium titulus adscribitur. Non  
enim nomine regis inscriptæ, sed priuatæ epi-  
stolæ forma more sæculi confectæ, Ad quas  
longioribus notis opus non est, cum omnia  
ferè ad Marculfum & alios exposita sint.

BVNNVARIA TANTA DE TERRA CAP.  
ARABILI ] Modus terræ, *Bonniere* in Butelle- III.  
rij libro. Qua voce Ambiani & Atrebates ad-  
huc vtuntur.

PER SOLIDVM ET DENARIVM SE- CAP. V.  
CVNDVM LEGEM SALICAM VISVS FVI  
SPONSARE ] Vxoris ducendæ forma quasi  
per coemptionem, veteribus Francis vsitata.  
Fredegarius de nuptijs Chlodouei & Chlotil-  
dis, *legati offerentes, solido & denario vt mos erat Fran-*  
*corum, eam partibus Chlodouei sponsant.* Imaginaria  
hæc coemptio vetustissimæ obseruantia spe-  
cies, qua vxores emi non apud Germanos tã-  
tum, sed apud plerasque gentes mos erat. Saxo-  
nes etiam verè sibi vxores emebant. Leg. Sa-  
xonum cap. xxxviii, *Vxorem ducturus trecentos*

*solidos det parentibus eius. In legib. Burgundio-  
num tit. XII. Sexies puellę pretium raptor exoluat. &  
tit. XXXIII. Si quis uxorem suam sine causa dimise-  
rit, inferat ei alterum tantum quantum pro precio ipsius  
dederat. Qua de re aliās fortasse.*

SECUNDVM LEGEM SALICAM] Mo-  
rē Francorū dixit Fredegarius, vt & Vet. Form.  
apud Fr. Pithœum. N. filius N. puellam ingenuam  
nomine N. illius filiam per solidum & denarium, se-  
cundum legem Salicam & antiquam consuetudi-  
nem desponsauit. In Lege quidem Salica de  
virginis nuptiis nil cautum extat. De viduis  
autem ducendis titulus est XLVI. vbi tamen nō  
vnus solidus, sed tres solidi & denarius memo-  
rantur: ille, inquit, qui viduam accipere vult cum tri-  
bus testibus qui adprobare debent, tres solidos aq̄  
pensantes & denarium habere debet: & hoc factō si eis  
conuenit, viduam accipiat, deinde si tres solidos & de-  
narium ille cui reippus debetur acceperit, tum eam legi-  
timē accipiat.

MANSIS AD COMMANENDVM] Man-  
sus villula est coloni vnus habitationi destina-  
ta, cum certo agri modo, quantum ille arare  
potest. Adnuntiatio Caroli apud Pistas cap.  
XXX. Vt quoniam in quibusdam locis coloni tam fisca-  
les quam & de casis Dei suas hereditates id est mansa  
que tenent, non solum suis paribus, sed & clericis, ca-  
nonicis ac villanis presbyteris, & alijs quibuscumque  
hominibus vendunt, & tantummodo cellam retinent,  
& hac occasione sic destructa sunt ville, vt non solum  
census debitus inde non possit exigi, sed etiam que terre  
de singulis mansis fuerunt iam non possunt cognosci &c.  
Hodie quoq; Burgundionibus Merx dicitur co-

loni adscriptitij hærediolum. Alijs *Mas*, harum  
certè formularum exemplar perpetuò non  
*mansum* sed *masum* habet.

CASTICIJS] Casticias septa Falcetus in-  
terpretatur, Antiquit. lib. ix. cap. xiiii. vbi ca-  
pitula quædã synodi Sueffionësis an. dcccliii.  
refert, ne cui in *casticijs* & *syluis custoditis* venari  
liceret. In epistola episcoporum Rhemensium  
& Rothomagensium apud Pithœum & eun-  
dem Falcetur lib. x. c. xv. *Iudices vt edificent*  
*villas moderatis casticijs*, quo loco ædificia desi-  
gnari sequentia verba manifestant. Sic j. cap.  
ix. *mansum ad commanendum cum casticia superposi-*  
*ta.*

DONATIONIS VEL DELIBERATIO- CAP.  
NIS NOSTRÆ] Deliberatio, traditio, Capi- IX.  
tul. lib. vi. cap. cclxxxv. *Pro quocumque illas Deo*  
*deliberare voluerit, ad seruiendum ax his Deo in sacri-*  
*ficijs, inde liurer, & deliurer.*

CONCULCATORIA] Hac formula abas CAP. X.  
cuius seruus puellam ingenuam rapuerat con-  
cedit vt ex eo coniugio nati liberi sint. Eius-  
dem argumènti est apud Marculf. lib. ii. cap.  
xxix. Quid sit autem conculcatoria amplius  
inquirendum: legi posset, *conciliatoria.*

NOTITIA DE CRUCE EVINDICATA] CAP.  
XII.  
Crucis iudicium seu examinatio inter proba-  
tionis species recensetur. Capitul. lib. iii. cap.  
xlvi. *Si auctor venerit & rem interiatam recipere re-*  
*nuerit, campo vel cruce contendat.* Append. ii. cap.  
xxxiii. *dicens quod illi sit damnum factum & hoc*  
*contendere voluerit in iudicio, aut in campo, aut ad cru-*  
*cem, licentiam habeat.* Quod quidem prohibetur

Capitul. lib. i. cap. cviii. Sancitum est vt nullus examinationem crucis facere præsumat, ne Christi passio quæ est glorificatio cuiuslibet temeritate contemptui habeatur. Vsum tamen inualuisse docent posteriora capitula. Eius probationis forma describi videtur in Legib. Frisionum tit. xiiii. duas scilicet præparari tesseras, quarum vna pura, altera crucis signo insignita sit, quæ duæ super altare in linteo euoluuntur, deinde post varias preces à presbytero aut puero debent extrahi, quod si crucis tessera prima extrahatur, innocentiam satis probatam existimabant.

PROPRISISSET ] inualisset; Leg. Ribuar. tit. lxxvii. Si quis caballum, hominem, vel quamlibet rem in via propriiserit, aut cum sequutus fuerit per res marcas eum ostendat. Capitul. lib v. c. cxl. De rebus propriis, vt ante missos & comites & iudices nostros veniant, & ibi accipiant finitiuam sententiam, & antea nullus præsumat alterius res proprindere, sed magis suam causam querat ante iudices nostros, vt diximus, & ibi recipiant quod iustum est.

CAP.  
xiiii.

CAVTIO DE CLAVIBVS ] Cautio est ab eo facta qui cum rem aliquam custodiendam suscepisset, eamque postea dolo vel iniuria amissam nec restituere potest, nec æstimationem præstare, domino rei seipsum tradit, vt pro seruo deinceps habeatur. Ideoq; cautio de clauibus dicitur, quia per clauium traditionem res quæ in horreo, vel cellario continebantur commendatæ ei fuerant.

GRANICA ] horrea. à grano, vnde & nos hodie granaria dicimus. Leg. Baiuuar. c. i. tit. xiii. 12. Fœnile, granicum, vel tuninum.

VITALIA SVA] nobis victualles.

PERDITA VEL NAVRATA] In ora  
ms. vnde hæc desumpta sunt P. Daniel adno-  
tauerat fortasse legendum, *non curata.*

PUBLICO] delendum videtur.

CHARTA TRACTVRIA] Incert. Au- CAP.  
ctor. cap. x. xv.

CENTENA ILLA] Comitatus in cente- CAP.  
nas distributi erant. Capitul. lib. III. c. x. & xviii.  
*de ipso pago aut de vicinis centenis eligantur, nisi forte  
longius extra comitatum causa sit inquirenda, & lib.  
III. cap. xxiii. Si tamen contentio que inter eos  
exorta est, in consinio duorum comitatum fuerit, liceat  
eis de vicina contena adiacentis comitatus ad causam  
suam testes habere.*

COMMENDATIA] præstaria, charta præ- CAP.  
stationis. xxi.

INDICVLVS QVEM PRÆPOSITVS CAP.  
TRANSMITTIT AD ABATEM] Perpe- xxii.

ram hoc lemma editum est, itaque vt in ms. sic  
corrige INDICVLVS PRÆCATORIVS  
AD EPISCOPVM, Epistola est ab Abate  
forte aut alio quolibet sacerdote episcopo scri-  
pta, qua illius seruum ad se confugisse declarat.  
Quem obnixè rogat vt vitam & membra salua  
integraque repromittat.

VITAM ET INMANCATIONEM]  
Solebant veteres seu episcopi, seu clerici pro  
reis ad ecclesiam confugientibus intercedere,  
nec prius eos reddere quam *ad euangelia datis  
sacramentis, (inquit Synodus Aurelianensis I.  
c. III.) de morte & debilitate sint securi, ita vt ei cui  
reus fuerit criminofus, de satisfactione conueniat. quod*

etiam in seruis obtinebat, qui non nisi excusati dominis permittebatur. Synodi Aurelianensis l. c. iv. & v. Præclarum eius rei apud Gregorium Turonensem extat exemplum. Sic igitur ille lib. v. cap. iiii. de Rauchingo: *Aiebant quidam eo tempore duo de famulis eius, ut saepe contingit mutuo se amore dilexisse, virum scilicet & puellam. Cumque hæc dilectio per duorum annorum aut eo amplius spacia traheretur, coniuncti pariter ecclesiam petierunt. Quod cum Rauchingus comperisset, accedit ad sacerdotem loci: rogat sibi protinus reddi suos famulos excusatos. Tunc sacerdos ait ad eum: Nosti enim que veneratio debeat impendi ecclesijs Dei: non enim poteris eos accipere, nisi ut fidem facias de permanente eorum coniunctione: similiter & ut de omni pœna corporali liberi mancant, repromittas: &c.*

CAP.  
XXVI.

CAVTIO DE INFRACTVRIS ] qua is qui effracto horreo, vel cellario furtum commiserat, eo nomine in certâ pecuniam condemnatus seipsum pro pignore tradit. Ex scribitur hæc formula à Fr. Pithæo ad Leg. Sal. tit. lx.

SPICARIUM ] horreum à spicis scilicet reconditis. Leg. Sal. tit. xviii. 2. *si quis spicarium aut macholum cum annona incenderit.*

SED iam portum conspiciens superesse videtur, ut saltem in extremo operis profitear, cum multos in his notis merito lubensque nominauerim per quos profeci, nullum tamen esse cui plus tribuendum sit quam Rol. Bignonio I C. patri optimo atque amantissimo, qui mihi inter maximas difficultates, quæ toties occurrerunt, hærenti manum præbuit, fulsit, &

AD VAR. FORMVL.

35  
digitum ad fontem intendit, licet auctori non extitisset. Sed à quo consiliū de tanta re non petiissem, subsidium tamen petere non dubitavi. Is est cui non tantum vitam vt parenti, sed institutionem vt præceptori, & quicquid in me est, debeo. Qui mores & ingenium formavit, litteris & ingenuis artibus excoluit, atque etiam ad iurisprudentiam & auctores adeo facilem aditum præbuit, vt hæc studia nullo non modo labori, sed voluptati mihi fuerint: nec alio antecessore opus, aut quærendus Scævola à cuius latere nunquā discederem: de quo non est animus quicquam amplius dicere, ne videar suffragari mihi. Tantum volui hoc extare grati animi indicium: Deum hominesque testatus, nihil mihi magis esse in votis quàm vt talem tantumque paternum affectum pari pietate possim cōpensare. FAXIT DEVS CUI OMNIS GRATIARVM ACTIO, LAVS ET HONOR.

NOTARVM FINIS.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.